

JACOB BALDE

DE ECLIPSI SOLARI ANNI MDCLIV (2631 vers)

DIALOGUS INTER ALPHONSUM PERSIUM PERNUMIAM MATHEMATICUM, ET DIDACUM CYRISATUM
POETAM, &DISPUTANTES DE ECLIPSI ANNI 1654.

DIDACUS

E1_1 v.1 Sol, qui cuncta vides : et me tua regna canentem
 2 aspice, non moesto vultu pluviisque madente
 3 luridus ac pallens : sed qualis amaris ab ipsis
 4 Vatibus ; et supplex optat sibi Persia votis
 5 formosum, similemque tui. Nam, iudice Munde,
 6 par solus potes esse tibi. Dominaris in axe
 7 arduus, et tanto caelum se Caesare jactat.
 8 Phoebe parens, caelum est tua maxima Roma nec ullus
 9 audeat esse Cato Pompeianusve planeta :
 10 affectare manu sceptrum, vel aperta movere
 11 bella per aetherios minime civilia campos.
 12 Perpetuus dictator ades. Pharsalia nulla est,
 13 quam timeas ; nullus consors : omnisque potestas
 14 temporis ac lucis, fontem revocatur ad unum.
 15 Solus habes aquilas, trabeamque, et caetera toto
 16 sidera sparsa Polo, parvorum jura Quiritum
 17 imperio frenata tenes. Tua magnus Orion
 18 ense latus cinctus circum praetoria lictor
 19 excubat, et fasces praefert, populique tumultum
 20 submovet, et minimum stellarum ignobile vulgus
 21 dignus adorari consul. Tua digna videri
 22 pompa, triumphales quoties duodena per Arcus
 23 signa viam carpens, laetis et ovariantibus astris,
 24 Zodiacum penetras. Tunc toto pulchrior ore
 25 surgit honos, oculique micant, flagrantius auro,
 26 ceu soles de Sole suo : nimiumque venusti
 27 illecebris, multumque tui. Sine muricis usu
 28 perfundit bis tinctorum chlamys, radiataque totum
 29 purpure circumdat. Placido gemmata pharetrae
 30 spicula subsiliunt motu. Caput ardet honestum
 31 majestate sua. Blando diadema nitore
 32 fulgurat ; et cranes redimito vertice florent.
 33 Ingredieris medius procerum stipante corona.
 34 Hinc Jovis attoniti sese venerabile sistit
 35 obsequium. Posito fastu servire paratus,
 36 poplitibusque minor, nutus agnoscit heriles :
 37 permulcetque manum, placataque fulmina dextra
 38 porrigit, aequae tuis vinci sua tela fatetur.
 39 Inde fatigatis pedibus Cyllenius adstat.
 40 Aulae verna tuae. Sequitur tardante senecta
 41 Saturnus, junctosque globo moderatur ephobos.
 42 Pone Gradivus agit turmas seriemque locorum
 43 mutat : et ex una, qua vult statione, relicta

44 translatus, mox ante volat ; clypeoque corusco
 45 proteggit ingentem Dominum. Deserta maritum
 46 inclamat Cytherea suum ; lentasque columbas
 47 urget, et inclinat festivos Hesperus ignes.
 48 Aeternum devota tibi, jurataque tanti
 49 Caesaris auspiciis famulari sidera gaudent.
 50 Nec gratis. Nam semper alis, vestisque decore.
 51 Scintillant mercede data : pretiumque nitoris
 52 annumerant, quantum capiunt ; largisque profusus
 53 sumptibus, argento praesenti debita solvis.
 54 Hinc certus civilis amor. Nam cuncta gubernas
 55 vitali fulgore fovens : nullique necessum
 56 mendicare faces, proprior quae stella ministrat.
 57 Te sine caeca forent et inania monstra, Triones,
 58 et Gemini, virgoque tuo vicina Leoni.
 59 Tu sidus rugire facis : tu lumine vivo
 60 das Veneri venerem, Martemque accendis amore.
 61 Quid memorem, quod tota tuo Natura sereno
 62 rideat, et dulcem, quando submergeris, ortum
 63 Aurorae lacrimis per cuncta madentibus arva
 64 exorare paret. Crocco simul atque cubili
 65 consurgis, pectisque comas ; simul omnia turgent
 66 afflatu percussa tuo. Pubescere Tellus
 67 incipit, et virides silvae volucresque moventur.

LEOPOLDUS

E1_2 v.1 Tantaque se rudibus Pietas ostentat in annis.
 2 Sic aetas animo cessit : fateantur ut omnes,
 3 Romani imperii venerabile pondus et ostrum,
 4 quamvis in teneris, et adhuc juvenile rubenti
 5 sic quoque sero datum. Prudentia transilit annos.
 6 Majestas in fronte sedet. Clementia Divi
 7 Patris in ore natat : virtus in pectore toto est.
 8 Haud equidem illecebras spirat, vultusque decorem
 9 femineum. Faciem generosam armata voluptas
 10 dignius incendit, repletam Caesare multo.
 11 Latis caesaries humeris infunditur atra,
 12 et male pexa fluens, ignaraque dentis eburni ;
 13 neglectu formosa suo. Qui Quintus habetur,
 14 Carolus ex oculis, et non sine fulgure lucet
 15 mens animusque capax, et torvi gratia Martis.

ALPHONSUS. CLASSICVM AD ORDINES S. R. IMPERII,
UT INTESTINI BELLII SEDEM, A PATRIA IN TURCIAM TRANSFERANT.

E1_3 v.1 Quid iuvat in proprium corpus saevire. Quirites :
 2 hostisque nil parcentis, heu fungi vice ?
 3 In patria mortes, et vestras perditis iras :
 4 efferte dignis commodandas stragibus.
 5 Finibus imperii sontes efferte triumphos,
 6 nocentiori diluendos sanguine,
 7 ire decet, qua Thraces arant : ubi Bosphorus ingens
 8 ad summa tollit astra nimbosum, caput.
 9 Hic habitat cervix toto mucrone rotanda.
 10 In hujus omnis saeviat fibras chalybs.
 11 Iste odium Mundi, mundo ulciscente, meretur.
 12 Cum stirpe tota, totus excindi nepos.

13 Quis nescit, quo se gens haec promoverit ortu ?
 14 Ut illa vestris laeta damnis creverit !
 15 E tenui nido pennas Ossmannus in Orbem
 16 late tetendit, et volando latius :
 17 Romanis Aquilis infra sua sceptrata relictis,
 18 spretoque vani fulminis bitumine.
 19 Heu, ubi nunc florens mutato Graecia vultu ?
 20 Maeret probroso sub Gelonorum jugo.
 21 Et campi et montes, et silvae et flumina lugent ;
 22 populique et urbes, et tenaces insulae.
 23 Lugent Thessaliae saltus, et Pindus et Othrys,
 24 Athosque et Ossa, cumque Hymetto Pelius.
 25 Te quoque barbaries, Helicon doctissime, sepsit :
 26 quod Phoebus unum forsitan haud praesenserat.
 27 Quasque feras nutris ; nunquam, licet Orpheus alter
 28 cantet, sonantis voce mansuescunt lyrae.
 29 Perditus Eurotas, liquidique Alpheus amoris,
 30 luctante puppes Thracias tergo ferunt.
 31 Inache, quaesita est olim tibi filia ; sed nunc
 32 amissus ipse, gemina defles funera.
 33 Herculeis frangi malle Acheloe lacertis ;
 34 libidinoso quam subesse Concano.
 35 Addidit et Lemno Scyron Lesbouque, Rhodonque ;
 36 qui Chia vina, potat idem Cypria.
 37 His fruitur praedo, cujus Bithynia tota est ;
 38 et quidquid inter funditur Chalcedona
 39 indomitos idem Pisidas parere coegit.
 40 Paret subactus Cappadox, paret Cilix.
 41 Nil pene ex toto superest Oriente decoris.
 42 Quod non recenti Thrax rapina polluit.
 43 Ivit in amplexus turpes Aurora tyranni,
 44 deserere castum jussa Tithoni torum.
 45 Non tam mane gemens occisum Memnona plorat.
 46 Quam parricidae vim suumque dedecus.
 47 Prima dies, nostris modice libanda fenestris,
 48 infecta diro prodit hujus halitu.
 49 Unde per Europam corrupto sidere pestes,
 50 centumque eodem fonte fluxerunt mala.
 51 At neque devexo petulans amentia soli
 52 parcat, nec ulla raptor exspirat mora.
 53 Pannoniam quoties ferro populatus et igni,
 54 Venetumque fines, Marte cuncta miscuit.
 55 Eheu, rasa caput famulatur Buda tiarae :
 56 regalis Alba periit, et Strigonium.
 57 Ausus et Austriacam subter penetrare Viennam,
 58 quantum minarum fossor ejecit solo !
 59 Servorum lamenta querar tristesque catastas,
 60 infraque scalam vincla captivi gregis ?
 61 Mors miseris optanda quidem, sed amata negatur ;
 62 et maesta magnis vita mactatur malis.
 63 Ergo homines, ritu pecorum, terraque marique,
 64 sparibus aguntur, aut trahuntur cannabe,
 65 passim Nicopoli resonant immane catenae.
 66 Et Christianus influit sanguis fore.
 67 Antiochi muros intra, caulasque Damasci,
 68 merx flenda vaenit atque flens, et vapulat.
 69 Delectu rabies gaudes, formosior aetas
 70 mollita cultris, non amare cogitur.

71 Deformis, tanto pulchris felicior annis,
 72 graves frementis tolerat insultus heri.
 73 Scinditur, et talo sic castigatur ab immo ;
 74 ut macerante plaga verminet sale.
 75 Femina nobilior, servata in pellicis usum ;
 76 caveis, ut olim bella clauditur fera.
 77 Deterior pellis, praedae in fastidia cedit ;
 78 formamque praesens sexus absentem luit :
 79 damnatusque fame, duris aut sudat aratris,
 80 aut discit ovibus invidere pascua.
 81 Servi in transtra cadunt, illos rostrata triremis,
 82 medioque ponto durus exercet labor
 83 vixque fatigati respirant : cum male nautas
 84 terribilis ultor multat, ac remos ciet ;
 85 fortiter impacti strident in terga cameli,
 86 crepante ventris tauriformi tympano.
 87 Teutoniae proceres vosque o, quicumque cruore
 88 gaudetis uti perditorum Teutonum :
 89 ista, precor, vestram moveant spectacula mentem.
 90 Cur heu, (pudendum !) civis in civem ruit ?
 91 Si fera bella placent, placeant et opima. Suasque
 92 meritura laudes ac secundos auspices.
 93 Caedibus Odrysiis justum satiate dolorem.
 94 Mergatur avida fonte Strymonio sitis.
 95 Pars autem vestri petitur quotacumque Gradivi,
 96 ut Turca toto pereat expulsus die ?
 97 Non opus est Geticae vires adhibere ruinae,
 98 cum scelere quantas vestra clades exigit.
 99 Sufficit immodici centesima portio belli,
 100 et ira deses, nullius cotis memor.
 101 Hoc, quem fuderunt septem jam sanguine lustra,
 102 quoties Eoem potuit acquiri caput ?
 103 Vos Constantini summam jam sede locati,
 104 regeretis uno duplicem nutu Polum.
 105 Iret ab occasu Romanum nomen ad Ortum :
 106 et ubique Caesar diceretur Flavius.
 107 Vester Halys, vester Tigris foret ; Aulide portu
 108 jam vestra staret classis in Boeotia.
 109 Ultra Caucaseas, et Tauri claustra, pruinas,
 110 spoliis superbus miles isset barbaris.
 111 Qui nunc mentis inops patriaeque in finibus haerens,
 112 seu vincat hostem, sive vincatur, furit.
 113 Stultitiae genus est pilis opponere pila ;
 114 et avis nepotes, atque natos patribus :
 115 spicula cum possent aliena in viscera mergi,
 116 laudante caelo teste ferientis manum.
 117 At neque militiae tali sua laurea constat ;
 118 nec digna ferrum nundinatur praemia.
 119 Pro veteri claustro, vilis pro caespite glebae,
 120 sterilique saltu tanta sudant crimina,
 121 pinguius o quanto daret uber Achaia : quanto
 122 fertilior illis nascitur campis seges !
 123 Vitibus arva rubent, plenisque canalibus exit ;
 124 ex navigando spumat Autumnus lacu.
 125 Innumeris auri venis secreta coruscat,
 126 partuque tellus gestit exsolvi suo.
 127 Arma modo in diros convertite Bistonas, arma.
 128 Opulenta nullam praeda destituet famem,

129 irruite, et Fatis, et vestro credite vati :
 130 ne dissidentes occupet prior Scytha.
 131 Inferiis totam, sociis solatia caesis,
 132 tot liberorum millibus gentem date.
 133 Effetas Veneris pecudes, recutitaque Lunae
 134 armenta, laetis submovete pascuis.
 135 Alcides veros Othomannica sentiat Hydra
 136 ne viperino colla trunco pullulent.
 137 Si pelagus tentare placet ; fluitantia venti
 138 jam bella spirant, et petunt stipendium.
 139 Spondet opem Boreas et mobilis Africus alis :
 140 Notusque et Eurus litore accincti sedent ;
 141 immensam Oceano stragem renovare parati :
 142 qualem Corinthus vidit olim territa.
 143 Cum super Hispanas acies Victoria sedit,
 144 siderea pulchra similis ora virgini.
 145 Threiciosque canes in gurgite Naupactoo
 146 oppressit altis, susque deque fluctibus.
 147 Ite alacres, plenusque viris infundite puppes.
 148 Praestabit ipse tuta Nereus aequora.
 149 Jam buccas inflat. Toto patre turgidus Auster ;
 150 siccisque pennas spargit ingenti salo.
 151 Desuper armatis in Turcas nubibus aether
 152 piceisque [x?]aedis atra tempestas ruet.
 153 Vobis (omen enim pronum est, deducere caelo)
 154 manifesta dextro signa fulgent Castore ;
 155 hortanturque viam. Vadant, proclamat Orion :
 156 et acuta primus astra vagina eripit,
 157 ut juvet, et strictos tantisper commodat ignes.
 158 Arripite fulgur militaris balthei.
 159 Quanquam etiam si nulla foret super hasta, vel ensis,
 160 adhuc in hostem recta eundem censeam
 161 quid petitis gladios ? Odio pugnatur et ira :
 162 manuumque majus ipsa sit telum manus.

DIDA

E1_4 v.1 Satis, inquit, ab avi
 2 Sors mea principiis fuit irrequieta, pigetque
 3 actorum sine fine mihi, sine honore, laborum.
 4 Quilibet alter agat portantes lumina currus
 5 si nemo est, omnesque Dei non posse fatentur,
 6 ipse agat, ut saltem dum nostras tentat habenas,
 7 orbatura patres aliquando fulmina ponat.

DIDA : HOS VERSICULOS ILLE NOSTER, IN IMPETU SPIRITUS, SIC APTAVIT SIBI.

E1_5 v.1 Satis, inquit, ab annis
 2 Sors mea ter denis fuit irrequieta, pigetque
 3 actorum sine fine mihi, sine honore, laborum.
 4 Quilibet alter agat quassantem Pegason alas.
 5 Si nemo est, omnesque rudes non posse fatentur.
 6 Ipse agat Orbilius praeceps, vel quilibet alter
 7 Zoilus : ut saltem, dum nostras tentat habenas ;
 8 desinat esse ferox sapiatque : et nomine vates
 9 orbatura sacros aliquando murmura ponat.

PARS I. CONTINENS PRAELUDIA.

E2_1 v.1 Scilicet exclamem cum Tusco vate feroci,
 2 atque Volaterris nato intra moenia Lunae :
 3 o curvae in terris animae, et caelestium inanes !
 4 Quin saepe et nimis impletae : quandoque tenaces.
 5 Plus etiam, quam ferre queant. Praerupta cupido
 6 Aetheris inspecti quam late exterruit Orbem !
 7 Nonne mathematici transcendunt limen Olympi,
 8 cum penetrant nubes ! Usque ad suprema feruntur
 9 sidera, et excussi rimantur viscera Solis.
 10 Sic equidem sublime volant ; ut summa petentes
 11 haud raro Icariae renovent ludibria cerae.
 12 Argumentum operis, quod rem demonstret ab ovo,
 13 terribilis quondam eclipsis solaris habetur.
 14 Quam retro repetens, ne totam obliviam tollant ;
 15 longique a primis causis exordia sumam :
 16 more avis illius, cujus timet ardea vires.
 17 Quando supervolitat, primo fugitiva putatur
 18 dissimulare suam velle atque relinquere praedam.
 19 Exspatiatur enim, ducitque per aera gyros ;
 20 donec eam superet. Tum demum celsior hosti
 21 irruit, ungue petens, contorti fulminis instar.
 22 Magnam autem obicitur, quantum patet, aequor arandum.
 23 De lauri ramis remos dum scindo virentes :
 24 dumque viam invado nullo mihi tramite notam,
 25 ingressus Pontum : jam jamque vocantibus Austris
 26 Castalias per aquas fertur Parnassia puppis.
 27 Clementer, Marce, adspira (quamquam Adria longe
 28 distinet, et dominus Tybris) prositque poetae,
 29 Castora navarcho te Pollucemque vocari.
 30 Sic ego nequidquam fratres optabo Lacones.

E2_2 v.1 Multa mathematici fingunt et multa poetae :
 2 fine tamen distant certo ac discrimine utrique ?
 3 Hi prodesse volunt et delectare : satisque est ;
 4 si mores pravos animis eradat amice ;
 5 inque vicem insinuet castos facunda voluptas :
 6 nil refert ; fasti peragant, an fabula. Sive
 7 Tros Anchisiades fuerit Carthagine, sive
 8 non fuerit (Tyrios fines et Punica regna,
 9 constat, Dardanias nunquam tetigisse carinas.)
 10 Nil inquam refert. Alium respexit ad usum
 11 Andinus vates, et plenus Apolline multo.
 12 Quid sit Amor, quam vanus Amor, quam saevus et acer ;
 13 quam Jovis, inconstans, furiosus, et ordine nullo
 14 praecipitans, tandem tragicos deducat ad actus :
 15 istud Virgilium voluisse docere, putabis :
 16 non sine laude sua, et celebri per secula fama.
 17 Si, quem Parthenope tegit, ex tumulo cinis immo
 18 surgeret ; atque iterum felix Aeneidos auctor
 19 appareret humo rupta, ceu functus Achilles ;
 20 (te poscens diro mactanda Polyxena busto)
 21 absque metu vel dedecoris, vel criminis ullo,
 22 diceret : o juvenes, vos o quibus integer aevi
 23 sanguis adhuc, solidaeque suo stant robore vires :

24 otia, et extentos vitate cupidinis arcus.
 25 Praemoneo exemplis : facienda, cavendaque monstro.
 26 Discite figmentis nostris bene vivere. Finxi.
 27 An plus artis habet Ciceronis clausula, dixi ?
 28 Certe fortunae minus. Obtruncanda coactus
 29 colla dare ; effuso madefecit sanguine Rostra.
 30 Virgilius placida compostus pace quiescit :
 31 halat et Aoniis hodie quoque floribus Urna.
 32 Sed non futilibus replenda est curia verbis :
 33 Turne mones : sequimur. Drancem damnamus iniquum.
 34 Ut credant oculi, quod credere respuit auris :
 35 Musa mihi concham praebe, clariosque colores.

E2_3 v.1 At Regina gravi jamdudum saucia cura.
 2 Vulnus alit venis ; et caeco carpitur igni.
 3 Unde mali labes, et tam penetrabile telum ?
 4 Multa viri virtus animo, multusque recursat
 5 gentis honos. Haerent infixi pectore vultus.
 6 Hos oculis avidae nimium sitientibus hausit.
 7 Clausisset potius ; ne forma aliena noceret.
 8 Sunt in amore duces. Si Dido caeca fuisset
 9 tunc saltem, vel lusca, atque uno lumine capta :
 10 cum vita lumen non amisisset utrumque.
 11 Ingenium artificis magnum mirare poetae.
 12 Nondum omnis periit. Sunt semina mentis honestae.
 13 Pugnat in adversum, secum deliberat : audi,
 14 si mihi non animo fixum immotumque sederet ;
 15 ne cui me vinclo vellem sociare jugali :
 16 huic uni forsitan potui succumbere culpa.
 17 Quae, ne succumbat, metuit ; tamen haeret in uno.
 18 Et timide gaudet, speratque, et pigra resistit ;
 19 incipit in media dubitans succumbere pugna.
 20 Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
 21 impulit. Agnosco veteris vestigia flammae.
 22 Nupta semel : thalamos gustataque mella relinquet
 23 aegrius intacta. Babylonia pocula, Virgo
 24 cunctis cruda viris, casteque abstemia semper,
 25 spernit, ut ingratum labruscae vilis acetum.
 26 Sed mihi vel Tellus, optem, prius ima dehiscat :
 27 vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
 28 quando jurat amans ; perjuriam certa sequentur.
 29 Lutat amans mulier ? Risum teneamus amici.
 30 Ille meos, primus, qui se mihi junxit amores
 31 abstulit ille habeat secum, servetque sepulcro.
 32 Pro positum viduae, juvenis, florentis, amoenae,
 33 divitis ; in foliis, autumnis flante, caducis
 34 et fluida scribatur aqua. Consistere nescit.
 35 Decepta est blandis, possis ignoscere, verbis ;
 36 Punica cognatae studio seducitur Evae.
 37 Anna Soror, Soror Anna, suam malesuada sororem
 38 traxit in exitium, ferroque extrema secutam.
 39 Solane perpetua maerens carpere juvenita ?
 40 Nec dulces gnatos, Veneris nec praemia noris ?
 41 Sibila non Phoenissa notas ? Tua sibilat Anna.
 42 Id cinerem aut manes credis curare sepultas ?
 43 Observa : semper mortem furiosa libido
 44 horret, et immersa est praesentibus. Omne futurum
 45 despicitur. Dido defunctum abolere Sichaeum

46 incipit, et forma peregrina pascitur. Actum est.
 47 Uritur infelix Dido, totaque vagatur
 48 urbe furens ; qualis coniecta cerva sagitta.
 49 Hoc habet. Haeret enim lateri letalis arundo.
 50 Transiit in fibras tota cum matre Cupido.
 51 It portis, jubare exorto, delecta juvenus.
 52 Retia rara plagae ; lato venabula ferro ;
 53 Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
 54 Progreditur Dido, magna stipante caterva,
 55 Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
 56 O si venatum nunquam cum conjuge falso
 57 ivisset ! Nunquam in saltu lupa capta fuisset.
 58 Speluncam Dido, dux et Trojanus, eandem
 59 deveniunt. Prima et tellus, et pronuba Juno
 60 dat signum. Fulsero ignes, et conscius Aether
 61 conubii : summoque ulularunt vertice Nymphae.
 62 Turpis Amor refugit lucem, latebrasque requirit.
 63 Non coeptae assurgunt turrets : non arma Juventus
 64 exercet. Pendent opera interrupta, minaeque
 65 murorum ingentes, aequataque machina caelo.
 66 Otia suadet Amor, socors aedilis in hortis
 67 crebrius atque toris residet, quam moenibus urbis.
 68 Non bene conveniunt labor et lascivia mollis.
 69 Nec jam furtivum Dido meditatur amorem.
 70 Conjugium vocat : hoc praetexit nomine culpam.
 71 In barathrum gradibus descenditur. Hoc habet omne
 72 flagitium, primo timide patrat inaudax :
 73 deinde placet. Sensim sit se robustius ipso.
 74 Post etiam virtus, et sancta vocatur Honestas.
 75 Pulchra legitimi velatur imagine juris.
 76 Mittitur interea Cyllenius ales ab alto :
 77 qui Phrygis ingratos Superis objurget amores.
 78 Continuo invadit : tu nunc Carthaginis altae
 79 fundamenta locas, pulchramque uxorius Urbem
 80 exstruis : heu, regni, rerumque oblite tuarum.
 81 Dicere amatori possis cuicumque : quid audes ?
 82 Aeternisque bonis praefers peritura, volansque
 83 momentum ? Heu, caeli, rerumque oblite tuarum !
 84 At vero Aeneas aspectu obmutuit amens.
 85 Amens omnis amans. Amor est insania sani.
 86 Ardet abire, fuga dulcesque relinquere terras.
 87 Ardet abire fuga : nunquam debebat adisse.
 88 Idalium facile est labyrinthum intrare volenti :
 89 difficile est exire, viamque requirere retro.
 90 Ingenium mulier multa tegit arte dolosum.
 91 Omnes quis numeret fraudes, animique recessus
 92 interea pungunt stimuli : mens conscia mordet.
 93 Quem semel amplexu tenuit viscosa voluptas ;
 94 stringit, ut arreptum praeceps Jovis armiger uncis
 95 implicat, hamatisque haerens ligat unguibus anguem.
 96 Heu ! quid agat ? quo nunc reginam ambire furentem
 97 audeat affatu ? Quae prima exordia sumat ?
 98 Jamne etiam sentis ductor Trojane laborem ?
 99 Quo grando et pluvia, et Juno spectarit, et antrum
 100 speluncae, summoque ululantes vertice Nymphae.
 101 Fortiter illecebris primis obstare decebat.
 102 Nondum expertus eras, quid amans, et femina posset.
 103 Hospes Amor, primo supplex ad limina factus.

104 Blanda voce aditus petet, admittique rogabit.
105 Admissus penetrat. Postquam possederit arcem :
106 aegrius ejicitur quam non admittitur hospes
107 Hic quoque. Sit nanus, sit tantum pusio bellus :
108 saevior est Selymis et Bajazethe tyranno.
109 At Regina dolo (quis fallere possit amantem ?)
110 praesensit : motusque excepit prima futuros
111 quisquis amore furit, spretus, pendebit, ut Iphis :
112 quaeque ab amore dolet, fiet Medea puella.
113 Mene fugis, per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
114 si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
115 dulce meum. Miserere domus labentis, et istam,
116 oro, siquis adhuc precibus locus, exue mentem,
117 quid faciat, vinclis sese quibus induit ipsum
118 captus ? In has solvit pallens suspiria voces.
119 Italiam Lyciae jussere capessere sortes.
120 Desine meque tuis incendere teque querelis,
121 sero Phryges sapiunt. Sequitur Metanoea peractum
122 crimen, et Aenean arcano verbere caedit.
123 Hoc tamen advertas : citius resipiscere tactos
124 delicti gravitate viros. Vitiosa furensque
125 tardius agnoscit commissam femina culpam.
126 Segnius exuitur ; vitiumque invita relinquit.
127 Talia dicentem : jamdudum aversa tuetur
128 luminibus tacitis : et sic accensa profatur.
129 Nec tibi Diva parens genitrix, nec Dardanus Auctor.
130 Perfide : sed duris genuit te cautibus horrens
131 Caucasus ; Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
132 Didone o quantum Dido distabat ab illa
133 hospitis admirante genus, geniumque, genasque,
134 et faciem caelo dignam. Quum diceret Annae :
135 credo equidem, nec vana fides genus esse Deorum.
136 Quum sic demisse fugitivum affata superbum :
137 saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
138 ante fugam soboles ; si quis mihi parvulus aula
139 luderet Aeneas, qui te tantum ore referret ;
140 non equidem omnino capta, aut deserta viderer.
141 Tunc et blanditias, et mille novissima movit,
142 per Patris Anchisae caput, et surgentis Iuli.
143 Vertit torva stylum, mutatoque asprea vultu :
144 num fletu ingemuit nostro ? Num lumina flexit ?
145 Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est ?
146 Heu furiis incensa feror neque dicta refello.
147 I sequere Italiam ventis : pete regna per undas.
148 Omnibus umbra locis adero. Dabis improbe poenas.
149 Sed neque et ista diu tempestas durat in ore.
150 Ire iterum in lacrimas : iterum tentare precando
151 cogitur. Et simplex animos submittere amori.
152 Huc dedit enim damni secreta libido,
153 et probri propriique status. Vilesce, dulce est.
154 Officii, generis, sceptri reverentia cessat.
155 Usque suo indulgens potiatur femina voto ;
156 calcat humi pedibus raptam de vertice mitram.
157 Talibus orabat : talesque miserrima fletus
158 fertque refertque Soror. Sed nullis ille movetur
159 fletibus, aut ullas voces tractabilis audit.
160 Disce, quid est firmo residens in pectore robur.
161 Mens immota manet : lacrima volvuntur inanes.

162 Unde haec durities ? Non est nisi ab aethere virtus.
 163 Fata obstant : placidasque viri Deus obstruit aures.
 164 Adscribat caelo, quisquis superavit Amorem.
 165 Viribus humanis multo Puer altior ille est.
 166 Vicit et Alciden. Domito domitore ferarum,
 167 subjecit clavam pharetrae, cygnoque leonem.
 168 Tum vero infelix fatis exterrita Dido
 169 mortem orat. Taedet caeli convexa tueri.
 170 Nescit enim castos ad caelum tollere vultus :
 171 turpis amor multoque minus super astra levare.
 172 Terra caro est. Tendunt et Terra caroque deorsum.
 173 Hinc exaudiri voces. Et verba vocantis
 174 visa viri ; nox cum terras obscura teneret :
 175 solaque culminibus ferali carmine bubo
 176 saepe queri, et longas in fletum ducere voces.
 177 Quae letum propere accersit, vitamque ministrat.
 178 Una Dea est. Eadem thalamis tumulisque praesesse
 179 creditur. Alternis Venus et Libitina vocatur.
 180 Dixerat : atque illam media inter talia ferro
 181 collapsam aspiciunt comites, ensemque cruore
 182 spumantem, sparsasque manus. It rumor ad alta
 183 atria. Concussam bacchatur Fama per urbem.
 184 Peccati merces, mors est. Hic exitus ergo
 185 luxuriam, et tantae reginae fata coronat.

E2_4 v.1 Hactenus ex quarto. Claudamus, Marce volumen
 2 dicere si fas est, hic Smyrnam Mantua vicat.
 3 Ardua quod cecinit divini Musa Maronis ;
 4 seu vero historiae digneris nomine carmen :
 5 seu figmenta voces phaleris ornata ; perinde est.
 6 Nonne vides, quae mens fuerit finisque poetae ?
 7 Nempe cothurnatis, quoties audimus, abunde
 8 instruimur dictis, opportuneque monemur ;
 9 Hic et ibi, quid sit magnis in rebus agendum.
 10 Fabula stat talo hoc. Ludentem dicere vera
 11 quid vetat ? Ex ficto praecepta capessere morum
 12 quid nocet ? Annales veri vix altius haerent.

E2_5 v.1 Astrologus contra nil vult finxisse videri.
 2 Certa tenet semper. Velox oracula fari,
 3 nescio quem Tripodem sublimi versat in axe.
 4 Certe aliquod memo rare solet persaepe Trigonum.
 5 Annulus ignivomus triplex est semper in ore.
 6 Is velute caelo decisa referre superbus,
 7 gaudet prodigiis auritam tundere plebem.
 8 Dum celebres nugas inter praesagia ponens,
 9 horrendas canit ambages, antroque remugit.
 10 Tanquam Cumano ; pastus radice Sibyllae,
 11 et foliis, lappisque (et lappis verius albis)
 12 Euboicoque caput novies in pulvere mersus.
 13 Postquam Hyades, Taurique oculum, caudamque Draconis
 14 torvumque inspexit torvissimus Oriona :
 15 ilicet, audaci flatu, denuntiat Orbis
 16 occasum ; et morbos, quales non viderit unquam
 17 Hippocrates, plagasque et non medicabile virus.
 18 (Cur autem versat Fortunae utriusque cylindrum :
 19 immo hominis mores, libertatisque bilancem ?)
 20 Per barbam Jovis, ac frameam jurare paratus

- 21 Martis, (an et laqueos, queis Lemnius induit illum ?)
 22 Producuntur item Veneris cum cyclade cestos :
 23 Saturnique senis falx, Mercuriique galerus :
 24 et circumductae Lunai cornua rhombo.
 25 Quin etiam Solis diadema, vetusque capistrum,
 26 quo regit altus equos. Phaethontis mentio nullae.
 27 Qui tamen ante omnes foret haec ad signa citandus.
 28 Errores tanti. Sed nunquam errasse fatentur :
 29 a Delphis rediisse putes, et Memnonis ara :
 30 a fonte Hammonis Libyci, sacroque camino.
 31 Diphtheraque inspecta est. Quid ? Diphthera ! Sic ait unus :
 32 qua patet, Oleniae pellis pervisa capellae.
- E2_6 v.1 Hoc docet, et magno Fastos distendit hiatu.
 2 Quos laudat Senior venditque Enterus. Opum vis
 3 ejus in his stat tota, et dulcis massa lucelli.
 4 Fit bene nummatus. Faciunt phantasmata pinguem.
 5 In oculis numerat stellas, astra aurea, fixas.
 6 Ille scit errantes cista cohibere planetas,
 7 qui prius aspectus non conjunxere secundos.
 8 Hinc Norimbergae sunt omnia plena Kalendis.
 9 Accurrit, fluitatque animis ignobile vulgus.
 10 Quale fugit vatem vera ac praeclara canentem.
 11 Sidera monstranti fixa atque errantia paret :
 12 et tremit ad nutus : arrectisque auribus adstat.
- E2_7 v.1 Ne tantum videar dare verba, nihilque probare ;
 2 incipe promissae venae memor, incipe nostra
 3 Euterpe, quoniam cauis (?) aspergitur aetas,
 4 forsitan extremum festive hoc ludere carmen.
 5 Nec te torva tuens macies deterreat. Ante
 6 quam moriar ; sine me, sine me hunc furere ante furorem,
 7 Uranien cantare piget : quotiesque rogamus,
 8 tristior abnutat. Cultorum quippe suorum
 9 somnia et eclipses, deliriaeque intima noscens
 10 occultat pudibunda caput, celatque dolorem.
- E2_8 v.1 PARS II. CONTINENS ANTECETIA ECLIPSIN.
 2 Induerat nec dum se quinquagesimus annus
 3 in quartum. Jam Fama volat praenuntia luctus,
 4 impellitque fores Jani, totamque tremore
 5 succutit Europam. Rumoris praevius Auctor
 6 Argolus, in veteri residens Antenoris urbe
 7 Italus ; Hiebnerus Teuto : responsa Deorum,
 8 eque Mathematico caelo portenta loquuntur :
 9 et cerebella hominum miris crabronibus implent.
 10 Consummandum Orbem : properare novissima Fata :
 11 extremumque instare diem. Mox omnia late
 12 sessura in cinerem. (Sed quo cinis ultimus ibit ?)
 13 Extemplo turbati animi. Concurritur. Ardent
 14 scire, quid in rem sit. Velut unda truditur unda ;
 15 affluxus populi fluctu obluctatur eodem
 16 estne ita ? Quid dubitas ? Sed ain ? Narratur ubique.
 17 Dic, rogo. Quam tetrico vultu ! Quid tandem utero fers ?
 18 Surge, age. Nil metuo. Tanto in discrimine rerum
 19 dissimulare libet ? Cur ? Obsecro. Proximus omnis
 Ucalegon : Nova Troja ! Cava nox induet umbra,

20 quotquot erunt homines. Tellus marcebit et Aether.

E2_9 v.1 Quomodo ? Jam dixi subiit Medesimus altum
 2 vociferans. Ad quem Colophon vicinus : ain tu ?
 3 Sic est. Pro Superi ! Tota nos esse diurna
 4 lampade privandes ! Ac si Nova Zembla teneret,
 5 seu glaciale fretum, ratibusque impervia Thule.
 6 Totum astrum in tenebras descendet ? Funditus atrum
 7 nimirum digitus restabit forsitan unus :
 8 ex quo relliquiae Solis videantur operti.
 9 Foedabit reliquum corpus caligo profunda.
 10 Atque adeo spissae glomeranda volumina noctis :
 11 qualis in Aegypto Pharaonis terruit Aulam :
 12 multorum hic metus est. Aliquanto mitius, opto
 13 et spero ; accensis superari posse lucernis.
 14 Sphaerae fixa suae stellarum castra videnda,
 15 deque die medio, ceu nocte micantia, volvi !
 16 Ut dicis. Neque enim obsistet Sol caecus, et aeger.
 17 Casuras avium tenebroso ex aere turmas !
 18 Sic aiunt. Plaudent igitur Nycteides unae :
 19 solaque desertis regnabit noctua tectis ;
 20 jam non ex vano dirum mortalibus omen,
 21 sed mortis veros occentatura pavores.
 22 Ast Colophon quassansque caput, vulsusque capillos ;
 23 ut video nos Fata urgent. Fuga nulla juvabit.
 24 Colligere alveolos, et convasare monemur.
 25 Legibus eversis Naturae, atque ordine rupto,
 26 quid super est, totum nisi Mundum evertier una.
 27 Extremum mihi vise vale Medesime. Toto
 28 pectore adhuc trepido. Eclipsi quid fiet in ipsa ?

E2_10 v.1 Haec inter primos sunt libamenta susurros.
 2 Sumpserunt etiam majora augmenta vagando,
 3 crescentis ritu fluvii. Mox addidit unus :
 4 militiam caeli totam, omnia sidera in armis
 5 procinctuque fore : et late increbescere luctum.
 6 Adjecere alii, quae prima insania dictat,
 7 effigitque timor : conspecta parelia caelo,
 8 curribus adversi metuenda, et dispare vultu
 9 majorem solito Lunam : excussoque tiara
 10 Romanae similem capiti imposuisse coronam.
 11 Saepe etiam noctu, quoties procedit Orion,
 12 flammigeras acies fulvis in nubibus hastas
 13 conflictu quatere, et belli simulacra ciere.
 14 Crinitumque jubar longo cum syrmate visum,
 15 caetera terrificis fulgoribus astra fugasse.
 16 Praeterea certo puteos auctore referri
 17 naturam mutasse suam : multosque cruorem
 18 fundere pro lymphis lapidesque hinc inde pluisse :
 19 et nullis causis, nulloque excocta calore
 20 in brumam ac calvos cecidisse ceraunia menses.
 21 Marmora sanguineo sudore madentia cerni :
 22 et passim pecudes humano more locutas.
 23 Quae, quid sunt aliud, quam praevia signa supremi ?
 24 Excidii instantis. Fama percussus iniqua
 25 dicitur Hermannus Sartorius ingemuisse :
 26 sartor erat : quo nec melior, nec acutior ullus
 27 vestimenta novis mire variare figuris.

28 Posthac in serum tempus non multa reponam.
 29 Parcius invigilabo lucris, duroque labori.
 30 Quo mihi divitiae tanto sudore parandae ?
 31 Cui bene parta bono ? Quae jam neque primus habebit,
 32 nedum ter decimus, sed enim neque tertius heres.
 33 Occumbet mecum Silvester filius una.
 34 Sic fatus pannum manibus projecit, et ulnam
 35 indignans, calamosque et acus, cerataque fila.

E2_11 v.1 Hi tunc sermones. Quos inter, mane profectum
 2 autumnno me tollit equus sublimis adulto,
 3 Hirschavium versus. Cui non haec cognita Memphis ?
 4 Egrae substiteram : meque huc Fortuna ferebat.
 5 Capturum somnos, qua dux Fridlandus in aula
 6 supremum vidit, Scota porrectus ab hasta.
 7 Evigilans dum pasco oculos, et compita lustro
 8 incidi in astrologos Polybuten et Petosirin !
 9 Sed Petosiris erat senior, praenomine dulcis
 10 Ambrosii gaudens, olim Tychonis alumnus.
 11 Jam totam implerant variis rumoribus Urbem.
 12 Misceo sermones, luctorque adnixus in astra.
 13 Continuo taedas isti jactare sonantes
 14 de caelo, duplicemque Polum percurrere lingua.
 15 Ventum erat ad Solem. Tunc suspirare : sequentis
 16 anni Fata tremens alter praedicere mensem
 17 Augustum : quo triste Chaos revehetur in Orbem.
 18 (Non bene junctarum discordia semina rerum)
 19 adverti, quorsum Petosiris vergeret, et quid
 20 vellet eo gemitu. Num tanti causa timoris,
 21 percitus aiebam, miseris mortalibus instat ?
 22 Quantas concipitis vana formidine vires,
 23 nulla eclipsis habet. Vos haec ludibria sacris
 24 corporibus caeli ! tantone extinguere probro,
 25 lucis inexhaustae fontem, Patremque diei !
 26 Ceu metuat, veluti nostrae de more lucernae,
 27 foetentes olim fungos Titantia lampas
 28 defectumque oleo. Jugis fons luminis ipse est.
 29 Sed neque tam multum poterit Nova Luna nocere
 30 nam minor impediens tanto non sufficit orbis
 31 celando jubari. Nec, si Soror obvia fratri
 32 fiat, et opposito praevelet lumina peplo ;
 33 oblimat totum generosi corporis ignem.
 34 Finge tamen, Phoebum totum oblimarier : ejus
 35 saltus sunt rapidi ; volucres agilesque caballi.
 36 Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
 37 Quippe gigas magnis exsultat passibus, et se
 38 ocius hinc aufert, Phoebe post terga relicta :
 39 nulla mora est. Urget Polybutes. Sed mora qualis-
 40 -cumque nocet. Positus sub Luna sentiet orbis ;

E2_12 v.1 Quid ? quod in illustri solio, quia corde leonis
 2 tale nihil metuens, et non sine crimine laesae
 3 majestatis, (io Regi succurrite vestro
 4 sidera !) et in propria Sol oppugnabitur arce,
 5 o scelus ! Hinc atque hinc a conjurantibus armis
 6 obsessus. Laevam Saturni plumbea sica
 7 occupat, et curvo luctatur dente ferire.
 8 Marspiter infesto dexter mucrone lacessit,

9 captivum terrenis : sudoremque exprimit atrum,
 10 quid tum ? Dicebam. Quid tum ? Miratur, et addit
 11 jam tumidus vehemensque, et sese doctior ipso.
 12 Dum caelum, mare, terra manet ; non tristior unquam
 13 stellarum positura fuit ; conjunctio pejor ;
 14 deterior nexus. Sub talibus ergo planetis
 15 non possunt non dira sequi, et spirantia Mortem,
 16 ni Superi avertant, utroque a cardine vulsum
 17 subsidet caelum (et multae capientur alaudae)
 18 at quia nam ? (quare ? dedignor quaerere.) Numquid
 19 non aliquid conforme sibi producere causa
 20 quaeque solet ? Retulit. Sic ergo mente tenebis
 21 discurrens : inclementis si saeviat astri
 22 nota nimis rabies ; laeso fulgore benigno
 23 alterius, penitusque procaciter interciso :
 24 haut dubie mala prorumpent horrenda relatu ;
 25 confertimque omnem Europam stipata globoso
 26 agmine inundabunt. Caedes, discrimina mille,
 27 mille nocendi artes, tempestatesque cruentae :
 28 proelia ventorum atque hominum ipsarumque ferarum.
 29 Praeterea malesuada fames, semesaque membra,
 30 corruptique lacus : aequae infectus, et oestrum
 31 Hungaricae febris, morboque implexa phrenesis.
 32 Ex quo vita fluit, nativique aetheris haustus ;
 33 inconstant totum Mars et Saturnus Olympum.

E2_13 v.1 Dixerat. Excepit Petasiris, et amplius urgens ;
 2 Luna premit Solem. Soli magnoque timetur
 3 Romulidum imperio. Machometis acinacis instar
 4 jam Chalcedonias late disperget arenas
 5 Bosphorus in latium : regnatricemque Viennam
 6 obruet. Hoc Stephani mox sentiet ardua turris.
 7 Obstupui. Sedere comae : vox faucibus haesit
 8 nequidquam : patulo sed plenior excidit ore.
 9 Quomodo ? Percontor. Quid agant super axe Planetarum,
 10 nimirum curet Caesar, vel Caesaris aula !
 11 Sol premitur. Falsum est. Apparet pressus ; et olli
 12 nec scintilla suae lucis decesserit unquam.
 13 Non mendicato vivit, se divite felix
 14 auriflui immensum vacuet quis sideris aequor ?
 15 Nos obfuscamur, cum nil de Sole videmus.
 16 Nos caeci sumus. Ille oculus manet inconnivus,
 17 Luna autem vere splendorem amittit hiulca ;
 18 et vacuas valles vultusque ostendit inanis :
 19 influxum prohibente globo Telluris opacae.
 20 Qui nisi praeveniat ; pauper sitit, esurit, alget :
 21 turpis, inops, squallens, nuda et maculosa videtur ;
 22 a nullo in sponsam tunc Endymione petenda.
 23 Sic adeo insistam te stringere. Si tua quidquam
 24 argumenta probant, potius contraria dices.
 25 Odrysiae tandem frangentur cornua Lunae :
 26 quam ferus evexit primis Othomannus habenis
 27 latius indulgens ; proprii domus ista decoris
 28 nil habet. Hoc Byzas Constantinusque loquuntur.
 29 Omnibus in signis, quae Thrax recutitus adorat,
 30 vivitur ex raptu, scriptum reperire licebit.
 31 Sacrilegus Machomet sceptro vitiisque secundus,
 32 eripuit nobis primae cunabula lucis.

33 Turca, aliena tenet. Praedator praeda futurus
 34 tempore deficiet : spoliisque orientis onustus,
 35 evomet Auroram cum tot simul urbibus haustam.

E2_14 v.1 Austriaci soles proprio fulgore coruscant.
 2 Innatumque sibi fundunt jubar, instar Eoi.
 3 Non aliunde petunt radios : de pectore manant,
 4 Oceanoque suo. Fortunam nulla malorum
 5 tempestas libare potest. Non si omnibus armis
 6 Musulmannigenae nebulas effundere tentent,
 7 obscurare queant ; neque vis exhausserit ulla
 8 sideris hujus opes. Pone isto ex semine natum
 9 plebeios inter, summosque immosque, nitebit.
 10 Prandeat Austriacus cum fabris, et figulis, et
 11 carbones atros, pellesque parantibus albas :
 12 ut Sol illustrans Moeotida, labe paludis
 13 ne quidquam inficitur ; nihil imminuetur ab illis,
 14 majestatis apex media in caligine fulget.
 15 Regibus hoc donum paucis, vix contigit ipsi
 16 Pellaeo. Multos regalis purpura tantum
 17 guttatim aspergit. Super has effunditur ostrum,
 18 ceu rapidus torrens. Quam claro flumine praeceps
 19 Eridanus liquidi rotat astra madentia caeli.
 20 Sic Superi statuere. Virens Habspurgica radix.
 21 Crevit in immensum nemus. Icta securibus, auget.
 22 Succisis ramis fecunda repullulat arbos.
 23 Quo plures caedis, majores explicat umbras.
 24 Luxuriaturae spatium si dempseris, addis.
 25 Atque adeo vel damna juvant. Discrimina tanto
 26 celsius attollunt. Quisquis conatur obesse ;
 27 Hoc ipso prodest. Fureret cum plurimus hostis,
 28 saevus, inaccessus ; captosque includeret arcte :
 29 profuit, obsessos circumscriptosque fuisse.
 30 Non nocet armatus, qui saepe noceret inermis.
 31 Toxica et aegrotos sanant. Othomannica Porta
 32 et Porta inferni (Ditis) torquentur eodem
 33 cardine. Qui pulsat votis vel fraudibus unam.
 34 Ut noceat Rubro-niveis ; intrabit utramque.
 35 Pace togata salus sequiturque et stipat euntes.
 36 In bello galeata salus praecedit ovantes.
 37 Haec domus electa est, ut, quod facit, imperet. Orbe
 38 everso, non ante mori coetur. Eundem
 39 accipiet Mundus casurus et Austria finem.
 40 Ut sint terrarum Domini, Natura potentes
 41 instituit. Fatis ad rerum culmen aguntur.
 42 Libera non ipsis datur optio : publica dici
 43 an privata velint persona. Capessere clavum,
 44 atque, ut multa loquar paucis, regnare rogantur,
 45 sed videor dixisse parum : regnare jubentur.
 46 Nec sic me explicui totum : regnare necesse est.
 47 Non licet, ut cupiant, grandes avertere curas.
 48 Ut leges et jura ferant, hoc Fata requirunt.
 49 Hac sunt lege dati : sunt hoc et lumine nati,
 50 ut semper radient. Natalibus ista potestas
 51 ex aequo affixa est. Regimenque et vita cohaerent.
 52 Cum luce aspiciunt sceptrum : gremioque parentum
 53 ut solio, insidunt. Simul infans hauserit auram ;
 54 afflat eum major genius meliorque. Feroci

- 55 vagitu jam scepra petit sibi debita tradi.
- E2_15 v.1 Talia fatus eram. Polybutes talia fatus.
 2 Errorem fateor, neque conjectura placebat.
 3 Itala. Spargebam, quod vendidit Argolus ; ut qui
 4 Pittacus enarrat, dictataque carmina rostro
 5 excipit, et memorans non intellecta reponit.
 6 Numne autem et falcem Saturni cuncta metentis,
 7 cum senibus pueros (pueros magis) esse timendam
 8 vitandamque neges ? Infantes illa secabit
 9 indutos ralla et primis, ceu gramina, bullis.
 10 Ut fenum in pratis. Cani et lanugo jacebunt :
 11 quid porro ? Nullae segetes, nullique racemi.
 12 Vis, vigor, et virtus in germine, palmite, totis
 13 exhalabit agris. Defectum et caerula Tethys
 14 sentiet, et cognata Thetis : fontesque, lacusque.
 15 Quid sacrae fiet scatebrae fontique salutis ?
 16 Unde acidus medicusque lates ebullit inemptus.
 17 Amittet vires, aut exsiccabitur, inquit.
 18 Dummodo, subjeci, fugiente per avia Mundi
 19 non caput abscondat cum Nilo, et deserat Egram.
 20 Tunc fieret primum aegra, malisque obnoxia morbis.
 21 Haec fatus, vis jam cohibens spiracula risus,
 22 utrumque Astrophilum, Benda comitante, reliqui.
- E2_16 v.1 Par vespillonum multo prudentius Egrae
 2 se gessit. Juvat horum et dicta et facta referre.
 3 Alter Naburgi plebeia stirpe creatus,
 4 Matre palatina Sarcandri nomen habebat :
 5 Alten calvus erat, vicina ex gente Bohemus :
 6 atque ut fama tulit, juvenis Petroffskius olim
 7 crudus adhuc viridisque senex. Post pocula sermo
 8 ibat in eclipsin. Neque enim fuit ulla popina,
 9 in qua non madidis super hac facundia verbis.
 10 Luderet, aut gemeret, formidaretque diserte.
 11 Contra hos Sarcander nihil haec commenta Sophorum
 12 insanabilium, terroris inania, curo.
 13 Quales vero minae Sol obscurabitur. Esto.
 14 Illo utique et noctu careo : cupiamque carere.
 15 Si video somnum, satis est : quotiesque profundum
 16 findo cavum, ut functus terrae succedere possit :
 17 an non eclipsin patior, lucemque relinquo
 18 Manibus admotus ? Tenebras tamen has amo, et illis
 19 formosum postpono diem. Nisi lumina claudant
 20 mortales, nullum in lucrum mea pandere possum.
 21 Dixit, et immani Zythi se proluit orca.
 22 Fossa sepulcralis, vespillonum aurifodina est.
 23 Hinc fodiuntur opes. Petroffskius annuit aequus :
 24 ac socio, quae me spes lactet et impleat, audi.
 25 Pravis cerriti jam judiciis homines sunt.
 26 Cerritos faciunt Fasti, mendacia, terror
 27 Panicus, et quidquid nigris distillat ab astris.
 28 Corpora ad interitum sic disponuntur et umbras.
 29 Inde omen faustum capto. Praesciscere longe
 30 Fata licet, nostros consolatura ligones :
 31 inque manus venient opulenti funera census.
 32 Mortibus utendum est, et acuta forfice Parcae.
 33 Astrologos, si quid mihi credis, eburnee frater,

34 defendo, complector, amo : hisme debeo totum.
 35 Vaticinantur enim clades, contagia, pestem :
 36 quae si defuerint ; nullumque eliminat uxor
 37 fessa virum socrumve nurus, nuptamve maritus :
 38 nos premit atra fames. Scabri tristissima dentes
 39 otia agunt. Vacuis regnant jejunia malis.
 40 Cum video Hexaphoros, et plangit praefica tumbam ;
 41 lux oritur. Redeunt vires : exesse jubetur
 42 pauperies. Nummi crescunt, et cura peculi.
 43 Non nocet Hiebnerus nobis, non Argolus : et qui
 44 gaudent prodigiis auritam tundere plebem.
 45 O medici, eclipses populis immittite multas.

E2_17 v.1 Ut saepe ex parva scintilla incendia surgunt !
 2 Qua salices in nomen eunt jactantius urbis :
 3 (quod situs exauget, Dominusque Duumvir et arcis
 4 vicinae speculan campos Parcsteinia rupes,
 5 (sicut acuta silex praecisis undique saxis.)
 6 Eclipsis statuit monumentum triste futura.
 7 Namque in caupona fundente utrumque liquorem,
 8 Lenaeum et coctae Cereris fuligine mistum,
 9 convenere viri, spectandi viribus ambo,
 10 atque aetate pares, armorumque insuper usu.
 11 Si memini Tigurinus erat procerior unus,
 12 noscendus lingua cultuque : Silesius alter.
 13 Dum mutant cyathos, dum crebrior amphora vini
 14 poscitur, et largus potantibus influit humor ;
 15 inque nigra duplices numeri crevere tabella :
 16 spumat in alloquium tandem vindemia fervens :
 17 utque sit, ex libris de caelo mira loquuntur.
 18 Materiam fandi plerumque bibentibus altam,
 19 et supra captum rudis ignorantia praebet.
 20 Ille mathematicos magno defendere nisu :
 21 iste refutatos majore explodere risu.
 22 Ac, quoniam ingesto cerebrum fumabat Iaccho,
 23 tangebatur capulum : miles non utitur astro
 24 ad pugnam, nisi Marte suo. Sua dextera cuique
 25 augurium et stella est. Si vis, uter aequius ergo
 26 judicet, astrologis nequidquam obnoxius ullis.
 27 An magis addictus ; litem hanc interprete ferro
 28 decidamus, ait. Nudo mox fulgidus ense
 29 adstitit, alterno protendens brachia motu.
 30 Hyrtacidae fenum jam dudum in cornibus altis
 31 arserat : et, faxo, respondit turbidus, ut te
 32 paeniteat sic posse loqui, sic esse locutum.
 33 Congressusque, suo dedit oscula ferre leoni,
 34 qui sedet in capulo, ac spatioso vulnere stravit.
 35 Sponsus erat. Quod ubi sponsa intellexerat, eheu,
 36 accurrens, truncumque levans in sanguine fuso
 37 lapsantem : quo me vertam ? Miseranda gemebat.
 38 Necdum eclipsis adest, et jam tua lumina clusit,
 39 Care Raponsili. Quot quantaque funera praesens
 40 edet ? Ad interitum festinant omnia certum.
 41 O diri astrologi ! sic anticipatis agones !
 42 Praestaret nullas, vel Graecas esse Kalendas.
 43 Infelix ut quid supero ? Sequar ire sub umbras
 44 conjugis, ut tumulo saltem jungamur eodem.
 45 Quandoquidem thalamum mihi sors infida negavis

- 46 extinctis redis ultra jam vivere taedet.
 47 Dixit, et os impressa solo, quo funus acerbum
 48 procubuit : flore aetatis moriemur in ipso ?
 49 Sed moriamur, ait. Sic ? Sic. Simque altera Thisbe
 50 concutiensque comas, mucronem ex vulnere raptum
 51 aptavit jugulo, sed enim vicina cruentis
 52 eripuit manibus Basilissa, juvante marito ;
 53 avertensque nefas, clamantem, gloria leti
 54 invitae eripitur, miseram superesse coegit.
 55 Latronem fuga mox et silva Bohemica texit.
- E2_18 v.1 His animum impletus monstris, sub nocte silenti
 2 Ambergam redii. Certe haec addicta planetis
 3 non erit, aiebam. Sed et haec addicta planetis
 4 urbs erat. Inveni corruptam moribus iisdem.
 5 Vana superstitio pagos pervasit et urbes.
 6 Argolus in thermis, in lustris atque Lycaeis,
 7 ante popinarum sedes, et signa sonabat.
 8 In cathedris clamatus item. Per pulpita tractus,
 9 Iliacos intra muros regnabat et extra.
- E2_19 v.1 Quid populi referam tibi, Pollucine, tumultu
 2 per commune Forum, per longa etstrata viarum ?
 3 Hic, ubi Martini prope templum sunt quoque linguae
 4 venales. Ubi garrulitas pulsata resultat,
 5 raucaque confusis miscetur vocibus Echo.
 6 Feminum a primae classis. Sicut vetus est mos.
 7 Praesertim ad fontem : cum corbibus aut calathiscis.
 8 Quando conveniunt ancilla, Sybilla, Camilla.
 9 Atque harum Dominae Drusilla, Placilla, Marilla ;
 10 Cum Violantilla, necnon Flaccilla pusilla ;
 11 auget clamorem Flavissa, Melissa, Cilissa.
 12 Parte alia blaterant Catharina, Rosina, Sabina.
 13 Et cum Martina, Dalphina, Marina, Begina :
 14 adversumque sonant Nerrinna, Barinna, Corinna :
 15 anseribus stridere putes atque omnia late
 16 clangere, vel lituis praeaeuntibus, arma movere
 17 in vespas examen apum : nubemque canoram,
 18 explosis fucis, cogi ad tentoria Regis.
 19 Cum veris quoque ficta volant : iterataque crebro
 20 murmura se impediunt : refluusque eliditur aer.
 21 Tum vero eclipses quoque multiplicantur ; et audent
 22 jam duplicem Solem, et geminas ostendere Thebas.
 23 Diversas facies, diversis icta videres
 24 pectora verberibus. Variat miratio gestus.
 25 Haec scabit ungue caput : digitis haec perforat aurem.
 26 Ista metum simulat. Tunicam quatit illa recinctam.
 27 Haec pede pulsat humum : verba haec ad singula nutat.
 28 Et modo subridet tenere ; modo molliter hiscit.
 29 Tentatur crinalis acus, num vertice fixa
 30 haereat. Incomptos solvuntque ligantque capillos :
 31 et plangunt plauduntque simul, gaudentque gemuntque.
- E2_20 v.1 Harum unam ut cupidam rerum bibulamque novarum
 2 (Caia vocabatur, numerans Trieteridas octo :)
 3 tristibus implevit curis temerarius error :
 4 irrupit clamore domum ; abjectoque quasillo,
 5 o Domina ! Ecquidnam ? gemitum alto a pectore ducens

- 6 complorat, tremulaeque impellunt lumina guttae.
7 Dice : quid audisti ? Procumbit, et ultima questa est.
8 Surge. Quid audisti ? cum femineo ululatu,
9 "Nullae jam, nullae sumus (atque audita renarrat)
10 Blanca, sumus nullae. Lugubria sumere tempus
11 admonet, atratoque obnubere corpus amictu.
12 Ergo quid audisti ? Toto volat una foro vox :
13 imminet exitium cunctis. Lux ultima rerum.
14 Occidimus. Miseram ! Cur vincla jugalia novi ?
15 Annulus est frustra datus : et solemnia verba
16 in ventum spargent, aut jam sparsere procellae.
17 Mater ego fieri formosa prole volebam.
18 Virgo mori cogar. Cessant mea gaudia, cessant :
19 cunctaque in eclipsin (sed monstri nescio, quid sit ;)
20 haud aliter, quam si in foveam sperata residant."
21 Blanca timore levat, placideque exercet herile
22 imperium, et curas solando abstergit inanes.
- E2_21 v.1 Hem ! quam virginitas nostris est cara Puellis !
2 Caia suum metuit decus intemerata sub umbras
3 ferre. Mori mallet praerepto laesa pudore.
4 Displicet integritas nullos experta maritos.
5 Extingui violata minus matrona doleret.
6 Talia in Europa ? Caeli regionibus illis,
7 quas natura loci moderato frigore sepsit,
8 grataque temperies, nec tantae obnoxia flammae.
9 Quid facient Cafrae, quid tosta caloribus Inda :
10 Teutonicas si non defendit bruma puellas.
- E2_22 v.1 Invaluit crudele malum. Timor omnia passim
2 discerpit : volitantque nigris phantasmata pennis.
3 Implentur tetrici saltus ; implentur et urbes.
4 In celebri censebat enim lymphatus aruspex
5 lympharum (inspector, debebam dicere) post ver
6 exactum, media fontes aestate tegendos :
7 non expectandas Septembres esse pruinas.
8 Ne puteal Blasii misso lictore citaret,
9 quos penes est civilis aquae liquidissima cura.
10 Nam quid si incideret fungus de lampade Phoebi
11 emuncta ! Vitium traheret communis aquae vis.
12 Protinus hausta lues in cives serperet omnes.
13 Hercule, et Augusto frendentibus atque nepote
14 Atlantis : quasi non ipsorum cura tuendis
15 sufficiat puteis, largeque fluentibus undis.
16 Quae praefecissent aediles numina ; scirent
17 non constare luto vel stramine, verum orichalco.
18 His adeo clausis acta est sententia retro.
19 Fontibus, et liquidis mansit sua gratia Nymphis ;
20 ut non inclusae fluerent firmata facultas,
21 derivare palam conchis lucentibus undas.
- E2_23 v.1 Illum ego textorem Gallum probo, nulla morantem
2 sidera : non Lunae, Solisque immane cadaver.
3 Testebatur enim longaevi pectinis usu :
4 quid curem astrologos, metuamve obscura minantes ?
5 Eclipsis mihi nulla nova est. Toto abditus anno
6 semper possideo mea subterranea regna.
7 In quae non memini penetrare crepuscula Phoebi :

- 8 transversos dum moto pedes, trajectaque nostris
9 percurrit manibus cum stamine cymbula tramam.
10 In tenebris aeque sapiet fumosa lagena.
11 Astris si radios vacar et sua rumpere fila :
12 non vacat hoc nobis. Studeo pertexere telam.
13 Talia verba loqui nunquam sine Pallade posset.
14 Tales verrucas, tu gemmas dixeris esse.
- E2_24 v.1 Quod jam narrabo, prope moenia divitis Ulmae
2 contigit : atque aliis potuit contingere fabris.
3 Jussus pro functo Titus aedificare recentem
4 sandapilam : quid jam pheretris opus, inquit, acernis ;
5 Funera laturis ? Tamen omnes credimur intra
6 haud multos menses (supremus, ut audio, praesto est)
7 cespitem communi, caeloque ruente tegendi.
8 Sparsa fuit vox haec, totamque vagata per urbem.
9 Mire praecones exercuit Aemilianos.
10 (Rectius, appelles fortassis papilionones.)
11 Hinc aliquis merito contempsit inutile ligni
12 officium, nulloque volens sub marmore condi :
13 quid modicam tumuli glebam curamus ? Inanes
14 nil moror inferias. Non parva caverna, sed ingens
15 Orbis fractus erit mihi nobile Mausoleum.
16 Pompeius caelo tegitur, si non habet urnam.
17 Dii me ! Quam grandes subito facit ultimus horror,
18 et stimulans aerumna Sophos ! Quo tempore vires
19 deficiunt ; redeunt animi praesentius ad se,
20 exsultantque alacres. Abigit timor ipse timorem :
21 atque inter metuenda metus discrimina cessat,
22 insultatque malis en, quidam oracula plenis
23 faucibus eructant. Senecas, magnosque Catones
24 libertate pares, et Stoica Fata loquuntur.
25 Testor : adhuc verum est ; sub mortem plus sapere omnes,
26 quam cum sana suo decurrit tramite vita.
- E2_25 v.1 Non tamen hic cunctis rigor et constantia. Multos
2 efficiunt inopina mali simulacra futuri
3 exangues, foedum in morem ; ridendaque suadent.
4 Parva quidem : sed et haec non praetereunda putamus.
5 Quidam sollicitus, ne perderet atra columbas
6 colluvies tenebrarum, aut lucis rima malignae.
7 Transtulit. Eclipsin Martes praevenit, et ova
8 diripiens, omnes stomacho sepelivit eodem.
9 Plorabat juvenis : nimirum verius Afro ;
10 cujus heri conjux animam projecit anilem.
11 Immodice laetatur enim celare laborat :
12 sed lacrimas inter risum vix ore coercet.
13 Ac merito laetus : neque enim sine felle columbae
14 haec rapta est : plenos atra quae bile culullos
15 saepius in faciem diffudit amara mariti.
16 Nescio, qui fiat ! Doctis plerumque viris sors
17 terribiles obtrudit anus, sociatque jugatas.
18 Socratici si sunt multi ; totidem Xantippae
19 et numero, rugisque pares, matulaque dabuntur.
20 Hic ille Astronomus, fama notissimus Afer :
21 qui lustrans caelum, Erigonem optarat habere :
22 in terris reperit furiam, duxitque Megaeram,
23 adversis fati, infausto flamine junctam ;

- 24 oscula Tartareo dignam praebere Luperco.
 25 Nunc liber sua colla jugo subtraxit : et altum
 26 respirans Parcas (magis hanc, quae stamina rupit
 27 ture, mero, violis, vultum inclinatus, adorat.
- E2_26 v.1 O si aliqua eclipsis saltem lunaris adesset,
 2 femineum in sexum vires habitura ! Vel o si
 3 suspensio passu Martes (Mors, dico) rediret
 4 ad nidum thalami ; quo nupta Terentia dormit
 5 mollibus in plumis. Malecontentoque Columbam
 6 auferret de nocte suam. Sic cara vocatur
 7 uxor Achaemenio dignissima nubere Regi :
 8 immo Jovi, qui post Neptunum temperat orbem.
 9 O si, inquam, similis Martes larvata veniret :
 10 inque fretum Scyllae portaret amabile funus !
 11 (Mors cancri, et talis nuptae, pulcherrima longe est.)
 12 Quas Malecontentus jactura conjugis hujus
 13 ditior, et viduus gratissima damna lucratus,
 14 quas ageret grates ! Bene jam contentus haberet !
 15 Quae non in templis supplex monumenta locaret !
 16 Candulam ; posset quae malus navibus esse,
 17 pluribus antennis ac velis apta ferendis.
 18 Aurato ex limo statuam, Rhodiumque Colossus.
 19 Quis Malecontentus, melius sciet ipse maritus :
 20 Taugusae nobis vultu septempace questus,
 21 (tot miseranda modis variaverat ora,) gemensque :
 22 obsecro, quid feci saccum ducturus inanem,
 23 pertusum, semper siccum, semperque madentem !
 24 Ah, ubi tunc fueram ? Quae me subvertit Enyo ?
 25 Hymen, ah ! Hymenae, Hymen. Hymen ah ! Hymenae !
 26 Vincula tenent corpus Junonia : libera Mens est.
 27 O quae me eclipses tam dura compede solvant !
 28 Cum morbum pati tuum, mala tubera vultus ;
 29 devoveo tibi, Luna, meam : (non dicere nostram
 30 ausus Dilectam) succurrat, et aera fatiget.
 31 Hymens ah ! Hymenae Hymen, Hymen ah ! Hymenae !
 32 Noctes atque dies miseranda haec naenia durat.
 33 Taeda stat e contra. Sed nil nisi jurgia, lites,
 34 et fumum, et curas, et caecum ventilat ignem.
- PARS III. COMPLEXA PROPIUS ACCEDENTIA AD ECLIPSIN.
- E2_27 v.1 Sed jam paulatim spatiis propioribus horror
 2 ingruit : augeturque metus, qui secula terret.
 3 Vae, vae, vae in terris habitantibus ! Atque iterum vae !
 4 Donec transierint vae septem, cum phialis tot
 5 sanguinea impletis ira, vinoque furoris.
 6 Jam mensis praecursor adest succinctus, et ardens
 7 Julius Augustum fatalem pollice monstrat.
 8 Cui seritur, vel cui metitur ? Tamen horrea et ipsos
 9 messorum cum frumento rapiet brevis hora.
 10 O fortunati nimium, sua si bona norint,
 11 agricolae : veteres monuit vox grata colonos.
 12 Altera personuit : mutata est ecloga lessio.
 13 O infelices nimium, sua si mala nossent,
 14 agricolae. Frustra sudant, frustra laborant.
 15 Argolus occentat : veteres migrate coloni.
 16 Saturnus falcem vestris praebabit aristis.

- 17 Mars sternet segetes, convectabitque maniplos.
 18 Humano pingues rorabunt sanguine spicae.
 19 Omnia vastabit properans eclipsis, et uret.
- E2_28 v.1 Hoc demum pagos, villasque et rura tremore
 2 perculit. Albenti procedit Thestylis ore,
 3 Pastoris lippi conjunx Mopsusque maritus
 4 assiduo repetit ventura sub arbore secum,
 5 praedictasque minas divinae ruminat irae.
 6 Quo te Moeri, pedes ? Dulcissime mi Meliboee,
 7 ad plures : immo, nisi dissimulamus, ad omnes.
 8 Ecquid enim ? Nescis pecorum formose magister ?
 9 Supremae lucis paucae restare feruntur :
 10 Quando immane crepans totus descendet Olympus
 11 in vallem tenebrarum, et fractus concidet Aether.
 12 Extinctus linquet sine luce Diespiter orbem.
 13 Hoc noster praeco ; pullata hoc sidera clamant.
 14 Et jam se accingunt ad Solis funus humandum.
 15 Ad nos si nunquam rediturus deficiat Sol :
 16 insere nunc Meliboeae pyros, pone ordine vites.
 17 Cui tamen ex illis fructum gustare licebit ?
 18 Ultima si admota est perituris linea rebus.
 19 Ite mea, felix quondam pecus, ite capellae.
 20 Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
 21 dumosa pendere procul de rupe videbo.
- E2_29 v.1 Quod stupeas, multi, non balba nare, sagaces,
 2 atque etiam magnae mentes terroribus istis
 3 submisere genu tremulum. Nam cura futuri
 4 angit sollicitos. Alibi fert Fama coactum
 5 concilium, atque habitum sine more fuisse Senatum.
 6 Convenere Patres, (famosam intravimus urbem :)
 7 Lucas Eumolpus, lepido cum consule Crantor :
 8 Crantoris affinis Papagas, et Bojus Acarian,
 9 temeti ac cerae dives : lanioque disertus
 10 Arcesilas, olim praetoris munere functus,
 11 Gasparis Herlicii gener, orti stirpe Davidis
 12 Herlicii : inspexit quo nemo sagacius astra,
 13 et cursus illorum, et quae signantur ab illis.
 14 Tum Mareus Bonzon, et Sturmie tempora canus,
 15 pistores ambo. Postremo accessit omaso
 16 distenti Ausidii venter, gracilisque Mariscus :
 17 et gibbus Ruckeri, et russi barba Philippi.
 18 Atque alii, in pretio quorum vel tussis habetur.
 19 Olli sederunt. Consul tunc farier inquit.
 20 Imminet eclipsis, qua non fuit ulla per aevum
 21 formidabilior. Pecudum nocitura putatur
 22 atque hominum generi. Quia creditur ultima Mundi
 23 eversura statum. Quivos hac nocte geratis ;
 24 qui vestri cives ; jam nunc decernite Patres :
 25 ne detrimentum capiat Respublica
 26 olli mutarunt voltus, vicibusque severos
 27 contorsere oculos. Postquam est data copia fandi ;
 28 incipit Aufidius (prae abdomine respiravit
 29 primum, et sic pinguem sermonem exorsus anhelat.)
 30 O socii, o cives : agitur res seria valde,
 31 et non de medio Jano, trivioque petita.
 32 In consanguineam Sol pugnare et Luna feruntur.

33 Victorem optamus fratrem : quia sic quoque nostra
 34 refert : et vero Mundi totius ; aprico
 35 communem lucis Dominum clarere triumpho.
 36 Astrologi sed enim sagi contraria dicunt.
 37 Luna Soror meretrix, (scimus Pastoris amores)
 38 nunc etiam geminis furtim subnixa planetis
 39 aggreditur solem. Quod si prostraverit illum ;
 40 praevideo : petitur jugulus per vulnera noster,
 41 devicto quoque frustra cadent immania Phoebos ;
 42 Scilicet in nostrum caput : obtritique ruina,
 43 mactatique erimus. Sic ergo censeo, quisque
 44 ex nobis sibi prospiciat de casside firma.
 45 Se poterunt inopes saltem cudone tueri.
 46 Censuit Arcesilas : cum bobus Luna vehatur,
 47 ut solem incurset clementius, atque recedat
 48 a sphaera solito citius, ponatque tumultum :
 49 quattuor insignes donandos esse juvencos.
 50 (Ede tamen : per quem mittes tam nobile donum ?)
 51 Non opus hoc sumptu, Bonzon moderatior inquit.
 52 (Crassus et hic, ulto somno indulgere solebat.)
 53 Nil eclipsis obest. Quid nox duplicata nocebit ?
 54 An non Alcides talem conceptus habebat ?
 55 Tanto somnus erit productior, atque cubanti
 56 suavior : (et tanto fiet glis pinguior albus.)
 57 Invideat quisquam lenimen dulce laborum !
 58 Fiat consultum. Lecto consurgere nullus
 59 temporis hoc puncto, vel verrere, vel coquere ausit.
 60 Nemo extra supraque domum consistere. Nido
 61 quisque suo tectus maneat : (sapienter, ut octo)
 62 sicque suo soli cursus Lunaeque relinquat.
 63 Ecquis enim nos constituit procul aetheris alti
 64 observatores ? Pauca interfatus Acarnan :
 65 Ede tamen ; si nemo foras exire sinetur,
 66 Quis volucrum nubem capiet toto axe caducam ?
 67 Dejicientur enim turmatim ex aethere lapsae.
 68 An permittemus putrescere, quae probat usus
 69 fercula grata, gulam mulcentia, pascere ventrem ?
 70 Nemphe coturnices, quas detulit humidus Auster
 71 in Judaeorum castra et tentoria, pigrae
 72 neglexere Tribus ! Puer unus mille trecentas
 73 ceperat. Ast alii tot corripuere catervas :
 74 ut solae vastos exuto corpore montes
 75 aequarent plumae. Papagas subrisit, et ore
 76 formato ad sonitum, dat qualem inflata Camoena ;
 77 significansque manu ; num fistula, vin, tibi ludens
 78 auxesin demonstrat ? ait. Sine, Tityrus inflet.
 79 Nam graviore sono dare nos responsa monemur.
 80 Instar montis equum vidit Trojana juvenus.
 81 Instar montis aves, quaero, quis viderit unquam
 82 congestas ? Sed enim facile est, attollere plumas
 83 in caelum levitate sua. Nunc mitto joculari.
 84 An nostram volumus pestem legere atque vorare ?
 85 Praedico : magnum discrimen edentibus instat.
 86 Dilacerabuntur stomachi, intestinaque, et alvus.
 87 Censeo boletos Claudi minus esse nocentes.
 88 Tunc cautum : (lex lata fuit censoria) ne quis
 89 ex avibus, quas more nivis caligo rotabit
 90 in terram, esuriens aliquid sibi sumere tentet :

91 quippe venenatis, et rore madentibus atro :
 92 quem Ditis pascuntur equi per prata soluti.
 93 Sidere corrupto, simul inferiora necesse est
 ADDIDIT EVMOLPVS
 94 corrumpi. Attractus naso vitiabitur aer.
 95 Terra quoque, et Pontus. Tetrum ergo afflabit odore
 96 putre solum : putresque lacus foetore maligno
 97 fumabunt. Igitur capitalis tempore pugnae,
 98 quo Sol andabata est, et luridus ; ardua pinus
 99 in medio pinguisque Foro statuenda videtur
 100 in taedam, piceis lentaque intexta resina
 101 undique succensis diffundat aromata ramis.
 102 Ignis odoratus pollutas corriget auras.
 103 Sic avertemus maculantem corpora tabem.
 104 Omnibus auditis Lepidus surrexit, et ore
 105 verba gravi faciens Romano consule digna :
 106 nescitis quidquam : neque vestrum cogitat ullus
 107 quod bene vortat, ait, nostrisque sit utile rebus.
 108 Naturam oppugnes frustra. Permittite cursum
 109 sideribus. Sed enim ne perniciose nocere.
 110 Neve inferre luem : neu Mors irrumpere possit,
 111 callida per tenebras, nobis torpentibus, uti
 112 Fortuna et furtis ; cumuletque occasio damna ;
 113 claudamus portas, caeli dum proelia fervent,
 114 vectibus atque seris munitas oppositisque
 115 quatuor armatis custodibus excludamus
 116 omnes insidias (sed quis custodiet ipsos
 117 custodes ? Credo ; Bitias et Pandarus ingens
 118 si ad portam starent Idaeo Alcanore creti,
 119 abietibus juvenes patriis et montibus aqui :
 120 forsitan excubias tales Mors caeca timeret.)
 121 Assensum tamen est, et itum in suffragia plurae.
 122 Post ea discessum. Salve Boeotia, salve.
 123 Quis dubitet, Scauros hoc consedissee Senatu ?
 124 Et Brutos, Fabiosque, oratoresque Metellos ?
 125 Hoc demum sapere est ! Horum prudentia monstrat
 126 summos posse viros. Et magna exempla daturus,
 127 vervecum ex patria, crassoque sub aere nasci.

E2_30 v.1 Quo magis increvit rumor, propioraque ventum
 2 tempora : laxatis formido major habenis
 3 per plateas equitare, animosque invadere pergat.
 4 Jamque etiam revolans extendit Epistola pennas :
 5 Dulcis amice vale : Pylades scribebat Oresti.
 6 (Si tamen est ullus Pylades modo, et ullus Orestes.)
 7 Euryalus Niso. Nugas contemneret istas
 8 Pirithous : quanquam dilexit Thesea multum ;
 9 talia non scripturus erat vel limine in ipso
 10 Eumenidum intrepidus. Nec te Proserpina curer.
 11 Scilicet iste metus percellere mollia corda
 12 femineumque genus. Scripsit Regina Teresae :
 13 Lucia Caeciliae ; Trompetta Marina Rosettae,
 14 (gallinae vulpes, et Goffonisba sciuro,
 15 simia Cassandrae.) Magna exspectatio rerum.
 16 Urget opus : nisi quod tenuit fanaticus error
 17 captivas omnes. Tamen est laudanda voluntas
 18 Supremi officii. Quid enim praestare potest plus
 19 hoc puncto Pietas mortem opperientibus ipsam ?

- 20 Omnes oderunt fugiuntque volatile telum,
 21 quod semel infixum sanguisque animusque sequuntur
 22 una eademque via : quia nescit vita reverti.
- E2_31 v.1 Non satis est chartam linere, aut perarate tabellas
 2 vana reportantes pavidae solatia menti.
 3 Coniungunt luctus, et fletibus ora madescunt.
 4 Altera in alterius caris complexibus haeret.
 5 Exsequias peragi credas ; ducique stolata
 6 Pergama trans Ithacam, patriam crudelis Ulysssei.
 7 Tot plorant Hecubae, tolerandaque Fata queruntur
 8 Andromachae. Eclipsis sternit ventura paventes.
 9 Troja, vale, rapimur clamant. Dant oscula terrae
 10 Troades : et patriae summantia tecta relinquunt.
 11 Nostrarum Iliadum lugentum talis imago :
 12 Ajax, illarum, Mars est ; Saturnus Achilles.
 13 Supremum sese visurae munera mittunt,
 14 pignora amicitiae. Thecis renovantur eburnis
 15 balsama, cinnamei rores, atque unguina costi.
 16 Mittunt cum monitis : quam felix usus in illis.
 17 Imbuitur nasus, contactaque tempora fragrant.
 18 Lactea fasciculus Myrrhae circum ubera serpit.
 19 In digitis ardent gemmae sudare vetantes.
 20 (Sudor in eclipsi censetur noxius esse.)
 21 Cera salutaris, multaue aspergine sacra,
 22 Cum casiaequae libris accenditur Indica radix
 23 in carbone rubens Goffliza, ac suaviter halans.
 24 Antidotum contra tenebras, an lumina Solis ?
 25 Hactenus audita est nunquam haec medicina, vel ulli
 26 applicita. An quodvis pro quovis utile censent !
- E2_32 v.1 Provehimur portu mentesque animique recedunt
 2 instante eclipsi. Tunc nos Amberga tenebat
 3 montibus incinctos mediis : ubi Vilsia ferrum
 4 trudit, et ignavo lentescens gurgite serpit.
 5 Usque adeo, ingentes ut vasta mole carinas
 6 multa vi quamvis vini, salis, aeris onustas
 7 exiguo modicae tergo ferat improbus undae :
 8 quas vix dorso asinus vester majore marinus ;
 9 et si quos inter numerat mare monstra camelos.
 10 Fluminis hic mos est ; haec sunt compendia pigri.
 11 Haud itidem ignavae fluvii sunt Naiades hujus.
 12 Vilsiacis Nymphis nihil est praestantius. Illas
 13 commendant labor, et felix industria solersque
 14 ingenium, et dulcis probitas, et gratia fandi,
 15 et lepor argutus, castaeque modestia formae.
 16 Ingenuusque pudor, studiumque immane lavandi.
 17 Sunt ibi reginae, Genovefae, sunt Catharinae,
 18 Eugeniae plus quam clarae, super omnia Sarae.
- E2_33 v.1 Ex harum coetu, pectus percussa decorum,
 2 accessit fidens Francisca Veninia Saram,
 3 magnanimam in paucis. (Dii longa in secula servant.
 4 Vivit adhuc, annosque suos virtutibus implet.)
 5 Tum sic affata est confuso flebilis ore.
 6 Sara, decus nostri fulgens et gloria sexus :
 7 quid patimur ? Quae fama volat totamque per Urbem
 8 diditur ? Audimus digna atque indigna relatu.

9 Quae spes, aut nostris affigitur ancora votis ?
 10 Somnia sint utinam. Sed habent et somnia pondus
 11 saepe suum : et rumor vigilantem illapsus in aurem est.
 12 Argolus atque alii, quibus est in amore tueri
 13 sidera, et ex alto praesagia ducere caelo ;
 14 excidium nobis, supremaque fata minantur.
 15 Quippe obscurato lucis Patre, corruet Orbis
 16 caecus, et oppressas feriet quaecumque ruina.
 17 Nos miseras ! In quae Divum Pater atque hominum Rex
 18 imbellem ac pavidum servasti tempora sexum !
 19 Adde et praegnantem. Maturum ventre tenetur
 20 pignus. Si pereo, gemini moriemur in una.
 21 O dilecta juva, meque his, precor, exime curis.
 22 Sara mares animos jam dudum et Amazone dignos
 23 exsertans : "Quae, cara, Soror, formido ligavit
 24 pectora ? Cur subitus pallor subrepsit in ora !
 25 Pelle supervacuos et inanes corde timores.
 26 Augurium Mens aegra sibi non utile praestat.
 27 Non tantum sua quemque trahit vitiosa voluptas :
 28 sed dubiis etiam cognatus mentibus angor.
 29 Nec raro patimur mala, quae nos fingimus ipsae.
 30 Argolus, Hiebnerus, non fausto sidere nati,
 31 omnesque astrologi certe tanti mihi non sunt,
 32 ut curare velim, vel formidare minaces.
 33 Urbs Atellanas fabellas Norica vendit :
 34 Aesopisque suis aurum emulgere laborat.
 35 Qualiicumque velint, Wervaei fulmina cudant :
 36 contemnit nugas humiles subnixa Deo Mens.
 37 Haud teneor fastis. Ego me ratione guberno.
 38 Si recolis, scriptum est : sapiens dominabitur astris.
 39 Ut si Luna super lacerum cadat improba Solem ;
 40 Marsque super Lunam media in vertigine Mundi
 41 cras hilaris, mecastor, ero ; et geniale parabo
 42 convivis epulum. Vivant, qui vivere malunt.
 43 Delectat quos ante diem descendere ad umbras :
 44 hos jubeo vitare meae consortia mensae.
 45 Parce metu, Francisca Soror : te ad gaudia primam
 46 invito. Veniat tecum Regina : nurusque
 47 Euphrosyne, et dulcis Christina, et Barbara neptis.
 48 Ante omnes Bibiana, ejusque Merantia mater
 49 invitatae aderunt : et Chia et Lesbia nutrix.
 50 Promisere etiam Tardanda, Orlosia Batti,
 51 Antliaque, et magnae genitrix Geleona Fregattae.
 52 Lenaeo tetricas mergemus in aequore curas."

E2_34 v.1 Interea crescente metu, qua Rhenus et Ister
 2 concussere suas, Patriae vaga flumina, ripas :
 3 turribus intremuit totis Alemanna Cybelle,
 4 tandem facta Deo supplex : ponensque coronas,
 5 verrit humum muris crinalibus, et sua deflet
 6 crimina ; magnanimos luctus clamore professa
 7 aestuat, et capitis procul abjicit ornamentum.
 8 Ergo cum gemitu, lacrimisque ex corde profusis,
 9 turba virum matrumque simul, juvenumque senumque
 10 irruere in sacras aedes : pulsare tribunal
 11 judicis ; hirsutum prosternere corpus : opumque
 12 clavibus abjectis, ad Petri currere claves.
 13 Excutere Annales vitae : commissa fateri.

14 Fastidire dapes vetitas, licitisque carere.
 15 Expassis manibus distendi : figere terris
 16 oscula : contortis tergum sulcare flagellis.
 17 Quodque fidem superat, quod nec sibi somnia fingant :
 18 tandem, ventosi quam nulla pericula Ponti,
 19 nullaque naufragiis infamia saxa coercent,
 20 territa portentis, media in prurigine lucri
 21 haesit avarities : et amor sceleratus habendi
 22 spreuit divitias, in dandi versus amorem.
 23 Autolyçi fures, et queis fenebria cordi.
 24 Reddiderunt ablata dolo. Posuitque nocentes
 25 ambitio chelas, turgensque superbia cristas.
 26 Chartaque ludificans, levis alea, cumque fritillis
 27 taxilli, in mediis crepuerunt omnia flammis.
 28 Tunc vindicta nocens imis expulsa medullis
 29 cessit, et in mitem subito leo transiit agnum.
 30 Crederet hoc quisquam ? Tunc immetata libido
 31 ipsa sibi metas posuit ; frenumque momordit
 32 infrenatus Amor. Casti velamina somni
 33 pluribus in thalamis iterum suspensa fuerunt.
 34 Quas in adulteriis prensas, sub fornice stantes
 35 oblita flagitiis ornabant tegmina ; nigris
 36 vidimus in saccis tristes horrere puellas.

E2_35 v.1 Unde autem hoc monstrum est, et quare cernimus istud !
 2 Omnipotens, solus Dominus, Deus ille Deorum,
 3 servari sua jussa jubet, mandataque mandat :
 4 intentatque minas frangenti. Nemo movetur.
 5 Increpat astrologus mendax, et vanus, et exlex :
 6 conjectatque minas ex aethere. Creditur illi.
 7 Vel tali : atque omnes gelida formidine torpent.
 8 Ista videt Numen, secumque exquirat, et ultra
 9 progreditur. Sanctis adeo vim ponderis addit
 10 legibus : et mortem, tormentaue dira minatur
 11 foedifrago ; quae nec vidit fabricata Perillus,
 12 nec fabricare potest : Phalarisque exhorreat ipse.
 13 Sed nihil evincit. Saliunt ex pulvere ficti
 14 terrigenae ; sicut saliunt in gurgite ranae
 15 clamosae, et foedis distendunt litibus orae :
 16 tanquam sit truncus spatiata ciconia circum,
 17 nido escam quaerens. Lycios nihil illa colonos
 18 sic ingressa movet. Sed nec Latona movebat.
 19 Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
 20 Unde autem hoc monstrum. Deus ultra tendit, et ultor
 21 ne tantum credas spatiari in cardine caeli,
 22 immemorem nostri, degentemque otia ; coram
 23 adventus dat signa sui : per camina vatum
 24 sollicitat, precibusque minas regaliter addit.
 25 Non extinguendos Erebi superingerit ignes ;
 26 infernoque lacum fumantem sulphure, et angues ;
 27 vermem immortalem : nec non canis ora trifaucis.
 28 Adjicit et fletum, et stridentes frigore dente,
 29 haec oculis quoniam non subjiciuntur ; in auras
 30 difflantur. Periere minae : periere tenebrae,
 31 plus quam Cimmeriae. Neque nox Aegyptia terret.
 32 Unde autem hoc monstrum. Cur, non, ait, ingero flammam
 33 ardentem oculis ? Animos praesentia tangunt.
 34 Ergo quatit nubes, et rauca tonitrua miscer

35 fulminibus, pluviaque rubra, cuneisque trisulcis
 36 mox evanescunt. Licet hinc exaestuēt Aetna :
 37 illic cocta vomens jaculetur saxa Vesevus.
 38 Talia Parthenope, quamvis ad sidera ducto :
 39 Quippe assueta, rogos mirari desiit olim.
 40 Hinc illi mores : hinc et cum morte pacisci
 41 audet, et in seram differre piacula noctem.
 42 Insolitum si quid videatur in aere si quis
 43 bruta Mathematico deducat fulmina caelo
 44 in pelvim et fatuos monstret novus Argolus ignes :
 45 continuo terror currit glaciata per ossa.
 46 Continuo flentes procumbunt omnibus aris :
 47 thuricremasque faces ponunt funalibus altis
 48 per templum ; croceoque intexunt aethera fumo.
 49 Unde autem hoc monstrum ! Quae tanti causa furoris ?
 50 Quae nisi Naturae vitiatae in traduce fomes,
 51 et furor, et rabies, et libertatis abusus !
 52 Inde animi caligo Deum temnentis. Et haec est
 53 humanae eclipsis damnosa ac maxuma mentis.

PARS IV. PROPONENS DIEM CRITICUM, SIVE IPSAM ECLIPSIN.

E2_36 v.1 Jamque dies aderat, Fatis volventibus, omnes
 2 extinctura dies : fecitque silentia terror.
 3 Qualia nec fano servata Serapidis alto.
 4 Nemo salutavit genitricem Memnonis, ortum
 5 Aurorae. Turres quoque conticuere supinae.
 6 Non tuba directi, non aris cornua flexi
 7 ulla sonant. Veluti mos est, cum forte timetur
 8 proditio, et Patriae muros ferus obsidet hostis.
 9 Ac si justitium foret a Praetore togatis
 10 civibus indictum fecitque silentia terror :
 11 tanquam si Cereris sacrum indixisset Eleusis.
 12 Multis nocturno manavit tempore sudor
 13 salsus, et in lecto, sicut jacuere pheretro.
 14 Quaesivere etiam funebria lintea multi.
 15 Umbras dixisses : fecitque silentia terror.
 16 Intrassit ceu clusa bonae sacer- antra Deae -dos.
 17 Nullae operae auditae : nulli per compita currus.
 18 Mercis inane forum : non verna ancillave visi,
 19 non canis in plateis. Fecitque silentia terror.
 20 Ac si jam pestis, medios nigrantibus alis
 21 per vicos stridens, manibus signata feriret
 22 Ostia. Prae foribus quaesita ad straminis orbem
 23 vectantur plenis tunc densa cadavera plaustris.
 24 Non nisi feralem gemitum vestita rotarum
 25 curvatura nigro panno plangentibus edit.
 26 Servantur jumenta domi : natasque nurusque
 27 et pecus et dominos communis caula recepit.
 28 Quae, precor, haec vita est ! Visae vastissima cunctae
 29 mandra domus : urbisque status referebat eremum.
 30 Qualis erat Ninive post naufraga pulpita Jonae.
 31 Consertis manibus, proclives stare putasses
 32 marcida ludaeos memores ad Sabbata Verpos.
 33 Cum laribus frigere foci ; temereque jacentis
 34 hesterni cineris sine flamma stertere carbo.
 35 Nemo pulmentum coxit : matresque repertae,
 36 quae detrectabant propriis infantibus uber

- 37 porgere. Rebantur, nil tunc, nisi triste venenum
 38 reddere maternas etiam, pro lacte, mamillas.
 39 Quid ? Quod ne parerent, gravidae timuere gravatas
 40 quamvis urgerent decimi fastidia mensis.
 41 Optabant potius ventrem atque incommoda ferre.
 42 Non nisi strumosum credentes, acephalumque,
 43 aut fore monstrificum, infausto quod vicera nixu
 44 fudissent ; patri infantes matrique timendos.
 45 Toto isto spatio nunquam Lucina vocata est.
 46 An tunc gallinas eclipsi exterrita vulpes,
 47 an pavidus mures catus interceperit ullos :
 48 nostri grammatici, nostri, inquam, in verba ruentes
 49 grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.
- E2_37 v.1 In quamdam perhibent sex divertisse tabernam
 2 pontibus innixam juvenes. Et novimus unum
 3 narrantem nobis. Mirari caupo bibentes.
 4 Potum aversari ; (nam propinaverat unus)
 5 audaxque Iapeti totum genus. Ut quid enim jam
 6 has faeces ! Potes hoc sub casu ducere somnum
 7 aut calicem ! Et virus Stygiae damnavit Echidnae.
 8 Omnia in obscaenum verti modo vina cruorem
 9 argutans. Clamavit io, jucundior alter.
 10 Talia dent utinam semper mihi toxica Divi.
 11 Antidotum in promptu est meus omnia et omnia venter
 12 digerit : et succi quo plus affuderis hujus,
 13 plus sitio. Hoc dulci morbo delector, et uror.
 14 Solibus his ! Dubitabis ? His ipsis solibus, inquit.
 15 Nonne vides, nobis nihil haec aconita nocere ?
 16 (Caecuba) cur infusa tibi, dic, ergo nocerent ?
 17 Eia age, conceptos animo dispunge pavores.
 18 Dixit, persuasit. Caupo exhilaratus adire :
 19 discussoque metu securae accumbere mensae.
 20 Principio timide ; mox plenum haurire deuncem
 21 mox mage : mox magis atque magis : tandemque renidens
 22 eclipsin madidam dulci sopire Lyaeo.
 23 Hinc igitur gratum sese exhibiturus amicis,
 24 symbola donavit : contractum aes diruit omne,
 25 laetitiae dives. Sic amens mortuus olim
 26 in speciem, e vivis quem Phantasus exturbarat.
 27 Postquam alios manes, simulataque funera vidit
 28 contrectare cibos gustatis ausus et ipse
 29 vescier, excussit morbum, et deliria mentis.
- E2_38 v.1 Jam credi poterat metuendae nona diei
 2 hora rotam movisse suam, si signa darentur,
 3 et nisi lex tacitas passim instaurasset Amyclas :
 4 quas torpore graves constat periisse silendo.
 5 Scilicet hanc criticam vates praedixerat horam.
 6 Nunc animis opus Aenea, nunc pectore firme.
 7 Rebus enim cunctis nox auferet atra colorem.
 8 Sed tunc Aeneas paucos Germania vidit.
 9 Nescia Mens hominum seu rebus firma secundis,
 10 seu duris servare modum. Nimis ebria laetis
 11 luxuriat : Fatis eadem desperat iniquis.
 12 Multorum cecidere animi, ceu Gorgone visa :
 13 aut scribente manu tria verba in pariete, contra
 14 cenantem Regem Chaldaeum. Ex omnibus unus

15 dicitur impavidus quidam mansisse Suevus :
 16 Hectoreus totus quantus : mera vita : merum cor,
 17 in manibus venae pulsum, pedibusque notasses,
 18 in digitis atque articulis, in corpore toto.
 19 Dixerat : hic stamus, veniat Saturnus, et ipse
 20 Turnus, et Aeacides ; Sol, Luna ; ineantque duellum,
 21 intremuere alii. Commota ut in arbore rami,
 22 ramorumque comae, quas concutit horridus Auster.

E2_39 v.1 At nos post offam saturi, et coliphia fortes,
 2 quanquam tempestas fuerat dubitabilis aethrae ;
 3 molimur cryptam. Spatium dedit area late
 4 sub Dio. Hic sculptis picturatisque lacunar
 5 exstruitur tabulis : tenebrasque inducimus arte
 6 unicum in obscuro, sed et hoc exile foramen,
 7 quo transmittuntur visus simulacra, relictum est.
 8 Hoc quoque crystallus venatrix lucida texit,
 9 fusilibus formis introrsum aptata vehendis.
 10 Adsunt Mussardus, Cosmas, Albertus, et Ursus,
 11 et Baslach Barsan, Stephanusque et Parthenopoeus ;
 12 cumque Phasone Moraps. Huic addictissimus arti
 13 Parthenopoeus erat, juvenes lepidissimus inter
 14 Boiugenas : ubi flaventes fert dives arenas
 15 Isara, et excelsum sustollit ad aethera conum :
 16 venerat et medicus fama celeberrimus Allgo,
 17 suspenso pede, ceu castris elapsus Achivis,
 18 er cum nocturno Xanthum bibiturus Ulysse.
 19 Non tamen absque omni formidine. Nam peregrino
 20 munitus pomo citreum spargebat odorem :
 21 si forte afflatu corrupta lacesseret aura,
 22 eclipsisque caput quateret, tutarier aptum.
 23 Cum vitris Ludovicus adest (cantabat eundo)
 24 sudamus. Nulli requies conceditur oti.
 25 Defixis longos, quam longa decempeda, fulcris
 26 imposuere tubos ; quibus exterebratur Olympus
 27 Oprica Mussardus, Mussardi filius Anci,
 28 instrumenta tulit, certosque aptavit in usus.
 29 Clavius est Cosmae : capit hunc, et saepe revolvit :
 30 Cysatumque Moraps, Kircherum, Albertus et Ursus.
 31 Adstabat Baslach Barsan illotus et unctus,
 32 contemplabatur sphaerae mirabile textum :
 33 quodque in ea possent numerarier astra, stupebat.
 34 Fervet opus. Mandant omnes : mandataque nullus
 35 exsequitur. Fer aquam ? Tetuli ; in cratero rotundo :
 36 factum est. Hoc belle. Dispone sedilia circum.
 37 Disposui. Recte. Titanis imago reflexa
 38 spectari poterit. Redhibebit lympha figuram
 39 vibrantem, geminas latam non amplius ulnas.

E2_40 v.1 Ecce autem dum multa parant, dum plura parantur ;
 2 intenditque suas spes expectatio longa
 3 tamque avido intendit, quam viso praepete cervo,
 4 turba canum coeunt, acuuntque in vulnera dentes :
 5 scindit se nubes ; claroque Hyperione viso :
 6 eclipsin totam jam praeteriisse, refertur.
 7 Praeteriit ! Clamo. Procurrimus. Ecce serena
 8 tempestas. Solis ludunt impune jugales
 9 graminibus nitidis saturi ; praelargaque sumptae

- 10 naribus elatis testantes pabula flammae.
 11 Ecquis, io, nostrum tenebras inserpere sensit ?
 12 Non ego, non alii. Livorem nemo notavit.
 13 Quid stamus fatui ? Quid hiantem ad sidera vultum
 14 tollimus, et pando vecordes hiscimus ore ?
 15 Scilicet eclipsin visuri ! Jam satis usque
 16 lusa fuit. Phoebi comoedia tota peracta est.
- E2_41 v.1 Ite, licet. Si quid placuit, potuitque placere ;
 2 plaudite confestim. Neque enim tam rara, recensque
 3 fabula bis dabitur. Meritos expromite nummos :
 4 justum operae pretium, pro mimo postulat aera
 5 Argolus exhibito, dignus mercede sua vir.
 6 Nam mirabilius nil cena ac scena Thyestae
 7 viderit, Argivis toties spectata theatris.
 8 Istud enim vero est longo suspendere naso :
 9 ac ferruginea gentes deludere larva.
 10 Ut spectatores quondam delusit hiantes
 11 Roscius in scena. Nam postquam dixit "Avete",
 12 cum reliquis simulans actoribus, atque chorago,
 13 per posticum abiit ; retro quoque pinsere doctus
 14 ludibrium, populo in scamnis aulaque relicto.
- E2_42 v.1 Astrologis toto socii tunc splene litarunt.
 2 Turbidus exoritur risus, maerorque pudorque
 3 alternisque jocisse per convicia vexant :
 4 vidisti volucres caelo, Ludovice, cadentes ?
 5 Cur non cepisti ? Pro quanta haec turba malorum !
 6 Quae tenebrae ! Superis grates. Evasimus Orcum.
 7 Urse, die exorto succensam extingue lucernam.
 8 Tandem etiam invisas licuit cognoscere stellas :
 9 Argo, Phoenicem, leporem, corvumque gruemque.
 10 Inspicite in fontem. Sine sole videbitis umbras
 11 Salparum, et magni Lydorum Regis acutam
 12 effigiem, longis digitis utrimque micantem.
 13 Vertimur ad vatam praesagia. Vah, Petosirin
 14 Ausonium ! Tetigit rem scirpo. Vah, Polybuten
 15 Teutonicum ! Ambobus posthac muscasque volantes
 16 praestiterit, captasque veru configere ranas.
 17 O David qui majores ? Nos, anne popellus !
 18 Anne hi Chrestologi ! Credo hi, nos atque popellus.
 19 Credibile est ipsum toto quoque pectore Solem
 20 risisse, atque suae stolidos monstrasse sorori.
 21 At saltem ludos Aelurus noster agebat.
 22 Forsitan eclipsin tacitam persenserit ipse.
 23 Qualis ad aspectum Lunae confusam elephantus
 24 fertur ridiculus molem dentesque movere.
- E2_43 v.1 Quid si Democritus nostra hac aetate redisset,
 2 maximus ille lien, cujus suavissima vita,
 3 nil, nisi risus, erat ; quid diceret : ilia et ora
 4 haud dubium quateret toto pulmone solutus.
 5 Temporis acta sui ridebat : gaudia vulgi
 6 vana : Neoptolemos auroque ostroque rubentes.
 7 Ridebat textas aquilas in vestibus albis :
 8 pictaque Sidonio vexilla volantia limbo :
 9 in quibus ex auro simulati terga dracones
 10 spirabant : nec non et tintinnabula currus

- 11 laurigeri, et trabeas, servumque curulibus altis
 12 cum Domino extantem, et silvestria nomina, fascēs
 13 signa magistratus, formidandasque secures.
 14 Ridebat veterem Romam ridebat Athenas :
 15 ridebat sumptus, nova quos Victoria fecit :
 16 interdum et partos caesa de pace triumphos,
 17 olli materiam risus dabat obvia magni
 18 principis Aula, et equi, plures asinique sequentes.
 19 Et quaecunque choro deducens tibia nuptam :
 20 aut vetulam elatam, viduo plaudente marito.
 21 Omnia laeta quidem. Sed nostro tempore curas,
 22 tristitiam, angores, divinos, phasmata, verbo ;
 23 stultitiam risurus erat. Vidisset enim nunc
 24 Sergestum, fortemque Gyan fortemque Cloanthum
 25 terriculamentis animum puerilibus ictos.
 26 Luctantes quosdam vidisset Solis ad umbram,
 27 caulibus avolsis et musco pallidiores.
 28 Quae causa ? Horum aliquis properae compendia mortis
 29 finxit, ab eclipsi trepidans. Res digna cachinno.
 30 Quid, si se gallum cristatum fingeret, et mox
 31 proderet hoc cantu ! Non tantum est unius olim
 32 Hic morbus. Plures similis dementia cepit.
 33 Qui vitreos, qui se volucres piscesve putabant,
 34 per liquidum modo jam pinnis, modo ludere pennis.
 35 Posteritas admitte sidem. Durante pavore ;
 36 et lino et stupa rimas, et cannabe multo
 37 stiparunt. Fuit obductus, quocumque venires,
 38 pessulus. Immotis haerebat janua claustris.
- E2_44 v.1 Multos paenituit, Tamarisce, timoris inepti :
 2 erroremque suum non erubere fateri.
 3 Atqui non satis est, naevis se scire notatum
 4 turpibus, aut laesae plagam cognoscere mentis.
 5 Emaculanda cutis. Ferro sanantur et igni
 6 vulnera, Paeonias queis frustra admoveris herbas.
 7 O cives, cives, quos Nox ecliptica densis
 8 infecit tenebris : vult isne abstergere faeces ?
 9 Quanquam alte insedit fuligo sontica : nemo
 10 desperet. Possum Aethiopes Maurosque lavare,
 11 nam superest medicina, malum quae corrigat istud.
 12 Nobis in somnis illam dictavit Apollo.
 13 Non vos Anticyras, ad tristia germina, mittam.
 14 Si risus sanare potest, cur fletibus utar,
 15 et cepis, aut helleboro ? Melior crocus illis.
 16 Heraclitus abest : sane Heraclitus et absit,
 17 prodigus in lacrimas, oculi decoctor aquosi.
 18 Accipite haec animis. Apothecam et pharmaca monstro.
- E2_45 v.1 Est locus umbriferae juxta confinia silvae,
 2 Caelum et terram inter : Zephyrus qua respicit Euri,
 3 et rigidus Boreas tepidis obnititur Austris.
 4 In medio bellum oppidulum, cui nomina cervus
 5 indidit. Exiguae quondam magalia villae,
 6 crevere in portas ac moenia : quomodo Thebas
 7 facturi lapides coiere, Amphione ducti.
 8 Undique praecincta est luco, scenaque virenti.
 9 Tota viatoris visu transmittitur uno :
 10 tanta patet. Fama tamen est super aethere nota.

11 Constantinopolim vastam, omnigenumque Cairum,
 12 et Mediolano majores provocet urbes.
 13 Quod mireris, ames tamen, invidiasque favendo :
 14 desipere hic nulli licitum est. Quia sic statuit mos
 15 tempore ab antiquo majorum, et Curia priscis
 16 ut supra renovata notis. Ibi cornua victor
 17 cippus, et Actaeon, sua deposuisse feruntur.
 18 Hic pueri nasum, nedum aetas obsita canis,
 19 rhinocerotis habent, audentque occurrere pugno.
 20 Hanc sibi delegit Regina facetia sedem
 21 ex quo divertens venator Castulus Halton
 22 Caesaris Henrici, cui nomen et aucupis omen
 23 fama dedit ; cives sensit totumque senatum
 24 festive sapere, et magnis praeludere fastis.
 25 Acta probans Caesar, titulis et honoribus auxit
 26 amplaque jura dedit : confirmavitque Solones,
 27 sexque alios, numero distinctos impare septem.
 28 Huc intret, qui vult Sapiens octavus haberi,
 29 et patrare aliquid, tabulas quod compleat albas.
 30 Vix gressu illato primam captaveris auram :
 31 signabit rubram facinus memorabile ceram.
 32 Urbs jam quarta Charis meruit tribus addita dici.
 33 Mille joci circumvolitant, et mille lepores.

E2_46 v.1 Huc, quibus eclipsis nimis est illapsa profunde
 2 in cerebrum, veniant. Nec erit locus iste pudori.
 3 Hic, aut nulla salus. Non si Galenus et omni
 4 arte senex Cous sudet, meliorque Machaon ;
 5 tantum proficiant. Recipe hoc, dictante recepi
 6 Numine : quod contra nullus Podalirius ausit.
 7 In primis modium plenum cape lucis Eoae,
 8 Vespere collectum : et sternutamenta triformis,
 9 quando est plena, Deae. Roseos his adde colores ;
 10 insignita quibus radiat Thaumantias Iris :
 11 et picturato si quem dejecerit arcu,
 12 ut perhibent, concham. Tres ejus contere partes.
 13 Tum perfunde duas hircino lacte recenti.
 14 Chelys et aetherii subigatur tertia cancri.
 15 Ac quoniam in semet scimus pugnare venena :
 16 (quod probat infligens adverso scorpius ictu,
 17 atque eadem curans expresso vulnera succo.)
 18 Marsque nocens cum Saturno quamplurima damna
 19 mentibus intulerit pavidis ; corradere, sectam
 20 messoris de falce scobem, galeaque Gradivi
 21 profuerit multum, et massam compingere in unam.
 22 Insuper et lanam, tribus aut de quinque capellis.
 23 Ex his, atque illis, quae ponit cuculus, ovis
 24 turundae fiant. Tres plumas alitis Euri
 25 adice de collo, medio vel corpore, sumptas.
 26 Addaturque tubae resonantis in aere clangor
 27 Tyrrhenae : quantum rudentis acutior auris
 28 una potest capere : et vacuae tria fulgura nubis.
 29 (Sufficit ex tonitru centesima portio verno.)
 30 Campani sonitus aeris, quod turre sub alta
 31 ventre cavo immensum jactans Erfordia pulsat.
 32 (Istud enim praestare ferunt :) volucrisque caballi
 33 hinnitus itidem centum : segmentaque rasa
 34 unguis Pegasei, cum sese Aganippide lavit.

35 Delphicus ista tripus, novies Permesside lympha
 36 commista accipiat : sacraque coquantur in olla.
 37 Praeterea, dum spuma tumens exsultat aeno ;
 38 sulphurea Nar albus aqua, notissimus amnis
 39 Virgilio, summis ima, et permisceat imis
 40 summa. Volat fumus : lixivia calda parata est,
 41 subde caput vana maculatus imaginis umbra.
 42 Quisquis subdiderit ; quamvis tenebrosus, et astris
 43 oblitus, exhibit, discussis nubibus Aeson :
 44 lautus io, redivivus io, terroris et expers.

E2_47 v.1 At non his nugis fuit externata Sophe
 2 unde nec hujus eget, semper formosa, lavacri.
 3 Argolicas generosa minas contempserat alto
 4 torva supercilio ; timide quoque credula veris.
 5 Nedum confictis, conjectantumque sinistris
 6 ominibus. Quidquid saevi discriminis annus
 7 allaturus erat : fastis nihil illa moveri,
 8 nec dare signa metus. Imperturbata, suisque
 9 prae scopulis scopulosa stetit, tam pectore firmo,
 10 tam solitis constans fibris. Turbanda minaces
 11 astra objectabat Calchas novus, Albus et ater,
 12 Italus et Teuto : rumpendi foedera Mundi :
 13 bella planetarum plus quam civilia, nunquam
 14 visa per Europen : obsessi Solis in alto
 15 aethere conflictus dubios : nihil illa moveri.
 16 Quo nunquam extiterit funestius, affore tempus :
 17 seu cum sacrilegi sursum jecere Gigantes
 18 montibus impositos montes, et Pelion Ossae ;
 19 his usi scalis. Jam Mars captivus ; et Aether
 20 palluit : inque suis tremuerunt sidera castris.
 21 Tetrrior Orbis erit facies. Nihil illa moveri.
 22 Invitam seu cum sponsam rapturus in Orcum
 23 Sicantias Pluto perfregit cuspide rupes :
 24 noctis equos, et Solis equos, caligine eadem
 25 miscuit, et caelo sceleratum impegit Avernum.
 26 Nunc quoque Styx oculis viventum cognita nullis,
 27 ne Superis deprensa quidem, manifesta patebit.
 28 Vix possunt pejora cani. Nihil illa moveri.
 29 Quin ipsam eclipsin, quo solvit tempore biga
 30 lunaris, fratrisque intra stetit orbita jactum
 31 telorum : risu ducens, evinctaque sertis
 32 solleni statuit cantores addere ludo.
 33 Ergo exercentes discum, solitisque recincti
 34 pelligibus, ad plenas famosis pultibus ollas,
 35 Evoe, clamabant celebrantes orgia, et Evan.
 36 Cur timeamus enim ? Virgo Tritonia Pallas
 37 defendet, clypeoque suo nos proteget omnes.
 38 Quaesitum est : unde haec audacia ? Quove calore
 39 tanti animi ! Multi magna et diversa loquuntur.
 40 Credo, quod his habitat virtus genialis in oris.

E2_48 v.1 Helvetiis etiam sua laus et gloria constat.
 2 Vivat progenies animosi mascula Telli :
 3 et proprias longum laudes extendat in aevum,
 4 natio cum larvis haec non luctatur et umbris.
 5 In veras acies pugnare, et corpora vera
 6 consuevit : non ficta Polo simulataque bella,

7 eclipsinve timet. Stant quemvis fortia in hostem
 8 pectora. Qui pulchra pro libertate feroces
 9 projecere animas, curent ludibria vulgi !
 10 Argolicos Fastos, pene ausim dicere, fastus.
 11 Spreverunt igitur figmenta ; dieque nefasto
 12 permisere boves grassari in montibus altis,
 13 intrepidi, atque nihil metuentes sideris orbi.
 14 Ardua rorantes ibant armenta per herbas.
 15 Propterea non pejus erat, vel deterius lac.
 16 Non ignobilius Dominae hinc statuere colostrum.
 17 Candida spumabant aequae mulctralia, et aequae
 18 caseus hinc pressus potuit sapuisse palato :
 19 vivat progenies animosi mascula Telli.
 20 Per quam prisca suos retinet Germania mores,
 21 Germanumque decus, Germanaque pectora, et artus
 22 membrorumque modum spirantem antiquius aevum,
 23 Iaphetisque genus. Stant primo laeta vigore
 24 corpora ; et exterrent hostes, immania cerni.
 25 Natio bellatrix. Quanti insurgatis in enses,
 26 ferratasque cruces : quo turbine torqueat hastam
 27 Swiza ferox : testis Murza est, et Carolus audax
 28 sensit : et in Regis campo testantur acervi :
 29 et Sembacenses manifestant proelia Calvae.
 30 Hinc devota fides, transmissaque gloria. Vestro
 31 Aula satellitio certatim splendida gaudet.
 32 Custodes Rex Francus amat : vos poscit Iberus :
 33 ad Vaticanæ sacrata Palatia sedis
 34 excubias agitis. Qui vult tutissimus esse
 35 e diadematis ; Cantonum cingitur armis.
 36 Ipse dolor fecit dominos rerumque potentes.
 37 Landenbergiaci fastus, et saeva libido,
 38 praedandique furor ; sacraque affixus in hasta
 39 pileus : haec vestris fecerunt otia terris.
 40 Tangit et heredes virtus proavita nepotes,
 41 sinceros animos. Mandata fidelia regum
 42 materno cum lacte bibunt intrante medullas.
 43 Quid ? quod adhuc infans pacto mercabilis auro,
 44 gratis non vagit : regnoque favere docetur ;
 45 unde micant lances, et fulva crepundia missa.
 46 Hoc succo crescit. Vix septima decedit aestas :
 47 libertas transit crebro modulata per aures.
 48 Cantatus tenero Tellus versatur in ore.
 49 Ut renuens aperire caput, contempserit iram
 50 praefectique minas : vincti de vertice Nati.
 51 Ut fatale suo pomum dejecerit arcu ;
 52 obliqua errorem non inferiore sagitta
 53 correctura manus. Cymba ut titubante repulsa,
 54 brachia diducens fluvios enaverit altos,
 55 Tu primus, Guilielme, jugum pepulisse tremendum.
 56 Diceris a nostris cervicibus ; atque catenas
 57 cum rupta fregisse sera : pulsoque superbo
 58 Tarquinio, Brutus novus asservisse Sodales.
 59 Salve Cantonum decus immortale tuorum :
 60 Helvetiae columen, nostri instaurator honoris.
 61 Talia jam pueri vel blaeso murmure lallant.

E2_49 v.1 Vatibus Alsaciae sed siquid creditis, hortor :
 2 vivite concordēs. Hoc pacto ac foedere vestra

3 libertas stabit. Secus : evanescet in auras.
 4 In cunis parvi quorum jam sugitis aurum ;
 5 servi fietis. Si vel discordia caelo
 6 irruat, evertet. Periiit dissensibus ipsa
 7 Roma suis. Periiit victrix vincentibus armis.
 8 Quam macer et longus, tunicaque incinctus agresti
 9 Eclipsin civis vester praedixerat, illam,
 10 si tangit Patriae propior vos cura, timete.
 11 Tunc primum justa captus formidine Rhenus
 12 hostem insultantem ripa sentiret utraque ;
 13 lugeretque dolens : immugiretque dolori
 14 altius, et laceris truncatus cornibus iret.
 15 Jam, satis usque mali apparet, multumque pericli :
 16 quod vos Calvinus distraxerit, et sacer olim
 17 Zwinglius : ad dirum nigris tumulum statuendis
 18 dignior abietibus, quam cedro, atraque cupressu.
 19 Hanc, moneo, eclipsin caveat Mavortia pubes.
 20 Altera de caelo, quaecumque est, nulla nocebit.

PARS V. ADNUMERANS COROLLARIA ECLIPTICA.

E2_50 v.1 Ordinis alterius signum est caeleste, cometa
 2 unicus : eclipsi quacumque potentius astrum,
 3 omnia transcendit justo meteora tremore.
 4 Ille quidem tantus censu de paupere surgit :
 5 (non est Patricius, nec caetera sidera civem
 6 agnoscunt.) Tamen officium praestantius ornat.
 7 Illud obit triplex, et habet tot nomina : munus
 8 legati, lictoris onus, praesagia vatis.
 9 Praedicit, suadet, cogit, terretque, monetque.
 10 Judicis ad solium citat et subsellia sontes,
 11 vinculaque et poenas. Nec vana minatur eundo.
 12 Nam quoties se cunque movet, flammamque comantem
 13 circumat, atque nothos in terras despuit ignes :
 14 testibus expertis, certum est praedicere clades.
 15 Hoc etiam lictoris habet : vult nempe timeri.
 16 Si placidum sentire cupis, venerare Cometam.
 17 Flecte. Voca Dominum formosum, atque aspice contra.
 18 Hunc titulum certe gratum sibi quondam Hagenoae
 19 luscus conivens a mendicante recepit,
 20 divitis ante fores permissio quaerere victum.
 21 Omnis enim lictor magni decus ambit honoris.
 22 Consule quippe suo vix se putat esse minorem.
 23 Qui decimum octavum saeculi foedaverat annum,
 24 ora rubens, crines promissus : seu vapor infra
 25 lunam, seu rapidi supra fastigia solis
 26 congeries stellata fuit : non nomen inane
 27 legati sortitus erat ; mandata Monarchae,
 28 personamque suam cum cauda strenuus egit.
 29 Exinde Europae sparsum genus omne malorum
 30 incubuit. Saevus Mars et Bellona cruentum
 31 infrendens, Jani templo prorupit aperto,
 32 verius effracto. Princepsque Bohemia fregit.
 33 Fas erat omne nefas. Furiae cecinere malorum
 34 classica, et attonitis rapuerunt licia Parcibus.
 35 Nulla mora. In fossam detraxit letifer uncus
 36 purpureos Manes, et olentia funera myrrham,
 37 Austriacae, Bavaraeque domus. Luxere Britanni :

38 luxit Iber : flevit Gallus ; flevere Sicambri.
 39 Et qui non alii summo jam cespite tecti !
 40 Hinc, puto, virga Dei vigilans haec stella vocatur :
 41 qua Pater iratus gnatos castigat iniquos.
 42 Ignea lingua volans. Quae sancti munere vatis
 43 fungitur, ultoremque reis denuntiat arcum :
 44 quandoquidem clemens spretus fuit Iridis arcus.
 45 Sidus non mutum est. Totis sublime perorat
 46 noctibus. Ex mento barbata Philippica pendet :
 47 qualis in Emathia vindex regione pependit,
 48 cum rubefecerunt hominum duo frusta Philippos.
 49 Infans si forte hirsutus, vultuque pilosus
 50 editur ; horrescit genitrix : pater ora retorquet.
 51 Hoc astrum, de quo loquimur, minimumque : recensque
 52 vix utero egressum est, et adhuc a matre rubescit ;
 53 barbatum tamen est. Sapientia Numinis aequi
 54 sic statuit. Quoniam Thesbitae more videntis
 55 mittitur, et vim vocis habens, terrere rebelles
 56 indomitosque viros, scelerumque horrore superbos :
 57 ne contemnatur ; veluti puer a Goliatho
 58 irrisus pastor : spissum Deus ipse vaporem
 59 accensum ingenti produxit in aethera tractu :
 60 illustremque dedit barbam, lateque timendam.
 61 Fax haec non puerum est induta ; sed ore virili
 62 intonat : et nunquam spectatum impune cometen.
 63 Intonat : et terris vertentem regna cometen.
 64 Discite justitiam moniti, et non temnere Divos,
 65 quare adeo eclipsis se non mihi conferat ulla.
 66 Nimirum hanc certus Naturae dirigit ordo.
 67 Unde diu nunquam, paucas dumtaxat in horas
 68 durat. Et exigua stringit formidine visum.
 69 Ast ego communi digressus ab indole, terris
 70 desuper incumbo : nec, ut Hesperus, affero molles
 71 blanditias, gracili modulari indoctus avena.
 72 Terribilis tubicen cieo ferale metallum :
 73 et supet arma volans hostilia tympana pulso.
 74 Quid mediter, satis hoc mea vestimenta loquuntur.
 75 Cernite caudatum. Caput, impexique capilli
 76 prodigiale rubent. Durus sum nuntius orbi
 77 missus : onus jubeor, multasque indicere mortes.
 78 Bella, famem, pestem, sexcentaque fulmina clauso
 79 porto sinu. Plerumque mihi tunc, vindice caelo,
 80 apparere datur : noxarum immania quando
 81 excessere modum ; et scelerum per devia torrens
 82 restagnat. Quid enim ? Viduas elidere saxo !
 83 Pupillos fraudare bonis ! Pervertere jura !
 84 Incestos laudare toros ! Tunc solvere crines
 85 Fata vocant : longo rubrae tunc flumine pallae
 86 induci, et scuticam, torvosque ostendere vultus.
 87 Hirsuti Eliae squalentem indutus amictum
 88 imprecor : e caelo descendat sonticus ignis :
 89 teque, tuosque viros quinquaginta ocus omnes
 90 devoret. Hoc genus, hi mores, haec forma Cometae.

E2_51 v.1 Natales eclipsis habet, quaecumque sit illa,
 2 longe diversos. Audi, Tamarisce, canentem.
 3 Cynthius, et sudo resplendens Cynthia caelo,
 4 sunt Latoni genae. Sed Olympum masculus heres

5 possidet, et regnat. Tamen ista lege tenetur,
 6 dimenso radiante suam nutrire sororem.
 7 Id facit : et quovis alimentum mense reponit,
 8 argentum purum. Nam nobiliore metallo
 9 gaudens, ipse suos aurum seponit in usus.
 10 Unde ornamentum capitis, radiosque, comasque
 11 et praefulgentem chlamydem, torquemque decorum,
 12 frenaque, et ignipedum soleas instauret equorum.
 13 Regia Solis enim magno nitet aurea luxu.
 14 Quantum instaurandis toties insumitur Horis !
 15 Ver breve et acris Hiems, meliorque Autumnus, et Aestas,
 16 servitium gratis non praestant. Scilicet aureis
 17 incincti sagulis stipendia debita poscunt.
 18 Plus neque Luna petit, quam quod sociabile pactum
 19 censibus addixit. Simul atque a Sole refecta est ;
 20 et faciem fulgor ditavit menstruus album :
 21 laetior exurgens, postquam dedit oscula fratri :
 22 et junxere arcus, et concussere pharetras ;
 23 secedit : quoque est abeunte remotior. Illo,
 24 plena magis, solito formosius erigit astrum.
 25 Quanquam autem hoc vetus est : varium et mutabile semper
 26 femina ; nulla tamen vincit vertigine Lunam.
 27 Nunquam eadem, semperque eadem, mutatur in horas.
 28 Fit gravior levitate sua. Leviorque vicissim
 29 fit gravitate sua. Variat : nec vestis habetur
 30 apta Deae. Jam longa togae multicia poscit :
 31 jam contenta brevi tunica soccisque coruscis.
 32 Jam vultus tenues, et inania cornua tollit.
 33 Stultescit quandoque. Etenim cum pallet, et altum,
 34 Telluris subeunte globo, decedere sentit
 35 splendorem, accusat fratrem, lucisque rapinam
 36 imputat, immeritoque ablatos exprobrat ignes.
 37 Tum vero et sagas matres, notasque novercas
 38 Aemoniae, ad luctum vocat, auxiliariaque aera
 39 implorat. Quatiant pelves, minuantque dolorem.
 40 Inde furens ultrix, poenaeque in imagina tota
 41 celsius artollit bigam : nocituraque soli,
 42 qua potis, et qua non potis est ; per sidera, frater
 43 redde meam sortem, clamat, praedator inique.
 44 Debita jura negas sic te partiris, et assem
 45 maternam ! Sic assertam me in sceptris reponis !
 46 Scilicet ipse diem ducas, niteasque superbus :
 47 semper ego caeca maerens in nocte relinquer !
 48 Ni mihi des lucem ; neque tu lucebis. Opacum
 49 subjiciam corpus. Simul obscurabimur ambo.
 50 Qualiter infanti cum jam Salomonius ensis
 51 instaret : turpis dicebat et impia pellex.
 52 Nec mihi, nec tibi sit. Ferro dirimente secetur
 53 iudicium. Lites divisus terminet infans.
 54 Ingenio simili plus quam muliebriter uti
 55 sueta Soror Phoebi, conscendit in aethere clivum,
 56 furta parans : et, ubi currus ecliptica tangit
 57 linea fraternos, (lustrans quippe omnia movit :)
 58 insidias struit, atque obliquo tramite sistit.
 59 Ecce venit laxis Titan invectus habenis,
 60 ignarus rerum, tamque immedicabilis irae,
 61 qua flagrat vesana soror. Furibunda repente
 62 prosilit, arrepto tum tempore : et, improbe reddes ?

63 Ingeminat. Viden, vi me denigraveris ! Hic sum
 64 pauper, inops lucis. Simul haec, simul atra juvencos
 65 objicit. (Et magicis credunt urgere venenis
 66 nonnulli. Quoniam triplicem coluere Dianam
 67 Thessalides ; Diti, silvis, et in aethere notam.)
 68 Omnia terrifici aurigae mugitibus implent.
 69 Quadrijuges terret novitas inopina : Phlegonque
 70 et Pyrois reliquique pavent. Fit pugna fremorque
 71 conflictu modico. Donec Sol verbere et ore
 72 exhortatus equos, superata pericula transit :
 73 et fatuam linquit post libera terga sororem.
 74 Exclames : "Tantaene animis caelestibus irae !"
 75 Mirum ! Tota redit mox gratia. Discite saevi
 76 mortales, odia haud multos extendere in annos.
 77 Victis, confessisque Reis ignoscere pulchrum est.
 78 Atque ita communis Naturae eclipsis habet se.

E2_52 v.1 Sed moriente Deo, quum diro in stipite clavi
 2 suffixum ferrent, procul a tellure levatum :
 3 nulla in sideribus fuerat deprensa simultas.
 4 Pace ferebantur. Concordia maxima morum.
 5 Plena incedebat roseo Latonia vultu ;
 6 nec cornu, nec fronte minax, sed amabilis ore,
 7 inque sinum ridens. Nam paullo acceperat ante
 8 luminis insignem gazam, et praedulce serenum.
 9 Unde recedendo jam tanto opulentior ibat,
 10 nocturnos inter Caeli Regina pyropos.
 11 Non illi se ferre parem pulcherrimus ortu
 12 Lucifer, et Veneri nimium dilectus amanti :
 13 non jubar Arcturi, aut nitida cum conjugue Cepheus.
 14 Cum subito nil tale timens, nihil ausa, nihilque
 15 ausura, in nodum tortis quasi tracta capillis
 16 abripitur, fratrisque sui substernitur orbi.
 17 Obtegit, et jactus telorum intercipit omnes.
 18 O stolidum genus Isacidum ! Hoc deterrima Judae
 19 proluvies olidi non observastis Apellae !
 20 Sin observastis ; non crimina vestra notastis !
 21 Squalet humus : livet caelum : caligine Mundus
 22 volvitur, et tenebrae subtexunt omnia densae :
 23 emptaque (?) aeternam timuerunt secula noctem.
 24 Nam consternatus stellis trepidantibus aether,
 25 de medio pallere die, atque albescere coepit.
 26 Nec micuere faces, propius quas dicere posses
 27 spectari : verum, constaret ut esse remotas ;
 28 scintilla verunt vibratis crinibus ignes.
 29 Voxque per Aegyptum clarissima Solis in Urbe
 30 personuit stupefactus enim clamabat Achivus :
 31 aut patitur primus naturae et maxumus Auctor :
 32 aut ejecta Polis solvetur machina Mundi.

E2_53 v.1 Hanc, Tamarisce, frequens eclipsin expende, tuamque.
 2 Quaenam ? ais. Heu, nescis ! Quam mox patiere : patique :
 3 cras potes, aut hodie. Nihil certius. Occidui sunt
 4 mortales. Totus quando obscuraberis ipse,
 5 nulla tibi eclipsis poterit contingere major,
 6 horridiorque simul. Gemini frangentur ocelli :
 7 palpebra nictabit ; dilectaque sidera hebescent.
 8 Incipiet toto visus decedere caelo.

9 Quicumque aspiciet, sortem miseratus acerbam
 10 flebit : et huic nocti, dicet, succumbimus omnes.

E2_54 v.1 Nempe times istam ! Recipe haec solamina contra.
 2 Majorem eclipsin cum Christo passa Maria est.
 3 Namque ubi mons, Solymam prope, tollit in aera dorsum,
 4 et putribus squallet feralis Golgotha calvis :
 5 Solem justitiae scis occubuisse, profundis
 6 submersum tenebris, quas nigra ut Luna creavit,
 7 pulchra ut Luna prius, formosi femina partus.
 8 A brevibus tenebris, sensim crevere tenebrae
 9 productae in longum. Faciem nox occupat atra.
 10 Sputa, catena, flagrum, spinae, crux, lancea, clavi,
 11 cui non offundant nebulas, lumenque retundant ?
 12 Hic Solem patientem et corpore Luna cruentum
 13 invasit subjecta Cruci : tanquam ubera monstret,
 14 astiterat nato crudelis et aspera virgo.
 15 Alterno aspectu cruciatur uterque planeta.
 16 Inque vicem vehemens caligo intenditur. Altas
 17 egit in ambobus radices causa dolendi.
 18 Saevit amor stimulis, tormentaue mutuus auget ;
 19 ac velut in speculi luctum rotat aere reflexum.
 20 O Fili ; o Mater ; quin jam nec Filius ille,
 21 ista nec est Mater ; mulier (quid tristius ?) audit.
 22 Jam mulier, quae virgo prius, genitrixque pudica.
 23 Sensit ad hanc vocem succedere majus opacum
 24 Luna parens, quatiturque sacris horroribus artus.
 25 Ante Dei Mater, mulier nunc incipit esse,
 26 ex reliquis, ceu passa virum. Communibus una.
 27 Deficit in statuam : nec jam loquiturve, gemitve.
 28 Ipse suas vires maeror consumpsit ; anhelat,
 29 non clamat dolor inclusus perque omnia magnus ;
 30 sed stupet. Hoc quoniam restat de viribus unum.
 31 Isti sunt veri Solis Lunaequae labores,
 32 has tenebras manibus palpes. Sol denique fixus
 33 in cruce dirigit, pressoque obmutuit ore.
 34 Flebilis adversum contemplabatur imago
 35 Matris : et, ut multos luctus commiscuit una
 36 in vespertinam demum conversa figuram
 37 pallida Luna pluit, rubicunda flet. Alba liquescit
 38 in lacrimas : lacrimas expresso sanguine mistas :
 39 lamentabilibus singultibus interjectis.
 40 Stat tamen, ignorans, jaceat miserabilis, an stet,
 41 exspiraturae similis, ceu virgula fumi.
 42 Sic quoque stat stabat. Legitur ; cecidisse, probandum est.
 43 Non illi imponas genus aerumnabile morbi,
 44 quae sine labe fuit concepta et mortua, spasmus.
 45 Sed dolor augetur. Nigrescunt omnia circum.
 46 Ore color nullus : nisi qualem falce resecta
 47 buxus habet, Parioque effictum marmore signum.
 48 Tandem animam gladio penetrante elanguit instar
 49 extincti cerei, cui forma et flamma recessit.
 50 Nulla fuit, nec erit par huic eclipsis in orbe.

E2_55 v.1 Marce : per hos oculos in nocte et morte natantes,
 2 posce, per hos, inquam, Solis Lunaequae labores.
 3 Ut relevare tuos (quid enim sapientius optes ?)
 4 dignentur. Simul atque advertes nubila fundi ;

5 pupillamque trucis leti confixerit horror :
 6 abdere in has tenebras, unaque assuesce moriri.
 7 Quid trepidas ? Et ad hoc verbum percelleris oscum.
 8 Verbum divinum mortali in carne moriri
 9 pro te sustinuit : cupias tantumne mori tu ?
 10 Caesaris Augusti seclo deponere vitam ?
 11 Verba pati discas, ut ferre et verbera possis.
 12 Si sapis, et recte sentis, praecepta per osca
 13 ampliter incicores tolerare assuesce labores
 14 ruspari poenas, aquilis urvatus et alpis.
 15 Si sancti Crucii aestimia est : nist fucile, pilpit
 16 sardarunt vates, qui contemplare futura
 17 institerunt ; solata libens, et querquera torta.
 18 Caldaque suscepis, nihil ejulitando : licet te
 19 talipedantem, incoxatum clunabula scaeva
 20 unguistique rudes, acieres atque catetae,
 21 concta inebra, et gramiae vexent. Loebesus es inter
 22 tot viduertates Christo duce, et auspice Conso.
 23 Hujus enim pro te fusus circaneus assir,
 24 Arferiam exsuccat : jam tu reses esse cracensque !
 25 O pudeat, bliteum stlembumque ad sidera ferri.
 26 Crux dat acupedios, celeresque, ut faminat olim
 27 frendere dura solens Paulus. Sollenitus ergo
 28 malis cum Christo, cumque ejus Matre moriri,
 29 quam quovis cum rege mori, sis purus honestis
 30 moribus atque nitens. Letho sed barbarus esto,
 31 Scilicet optares placide concedere Fatis :
 32 leniter exsolvi : solantes inter amicos
 33 componi somno : natura solvere censum :
 34 oppetere in thalamo. Parere vocantibus umbris :
 35 exhalare animam floris vel luminis instar.
 36 Sunt isthaec molles nugae, Tamarisce, moriri
 37 te cupiam. Manat namque hinc et rursus oriri.
 38 Quod non dat quodcumque mori. Mariana recessit
 39 post tres eclipsis Nasarenaque Luna refulgens
 40 splendidior surgente suo cum Sole revixit.
 41 Tu quoque fatali quamvis caligine mersus,
 42 nenu (?) despera nece te procitante. Memento,
 43 quod bitiens exsulque fuas : tempestaque semper
 44 obveniat natura probis. Aliuta nequibis
 45 verruncare malum. Vitai scamberat ardor.
 46 Indecorabilius molto moriere. Feramus.
 47 Nemo est impunis prognariter obpuviatus
 48 utcumque effudas dacrumas in nocte cnephosa :
 49 post tenebras spera lucem : post nubila Phoebum.

E2_56 v.1 A diverticulo primum redeamus in orbem
 2 nemo igitur, dicas fortasse, volubilis aevi
 3 divinare potest finem, et spatia ultima ? Nemo,
 4 ex solo astrorum cursu : nec si Argolus Argus
 5 factus, centum oculis videat, praeceperit unquam.
 6 Antiquos vates, quos nobis sacra vetustas
 7 proposuit, spiransque Deus : veneramur, amamus :
 8 excipimusque novos colaphis, plenaque matella :
 9 aut sudibus, quoties desunt unguenta, perustis.
 10 Atqui atqui inflata est casuri buccina mundi !
 11 Sed quo successu ? Fertur nam musteus atque
 12 Entheus in Bromii spuma, vitroque trilibri :

- 13 (illo illo ingenti, ventremque implente capacem
 14 Saxonis, Antaeum manibus quoque ferre potentis)
 15 Occasum praescisse et praedixisse Lutherus.
 16 Deinde calens vino praeco Campanus adusto,
 17 ex umbone ferox. (Hodieque est clivia testis :)
 18 inque ocreis natus Stiffelius. O Coriandrum !
 19 Ulla virum ex corio scissum num protulit aetas ?
 20 Dic : ocream talem genuit quo tempore cerdo ?
 21 Barbara vox, inquis. Coriandrum, nobile granum
 22 significat. Graiae tu sic illudere linguae,
 23 et Latio ! Caput humanum jungere equino !
 24 Ac si in nominibus bacchantum Spermologorum
 25 non liceat lepide nugari, et flumina risu
 26 sistere praegelido. Sed rem veniamus ad ipsam.
 27 Quis curet nomen ? Stiffelius iste propheta,
 28 si quisquam, magnus, pellitus, digna cothurno
 29 vivo verba dedit. Cives accurrite, cives
 30 post sex (Henrico, nisi fallor dixerat olim
 31 Wolfgangus, melior vates.) Advertite post sex,
 32 (menses anne dies, totum mentire, vel Annos ?)
 33 Post sex, eversus succumbet funditus orbis.
 34 Extremusque dies veniet, compage soluta.
 35 Mox aderit summus Judex. Estote parati.
 36 Quod superest Cereris Bacchique, absumite laeti.
 37 Factum, ocreate, puta. Neque enim calcaribus ullis
 38 est opus hoc ad iter. Pastorem armenta sequuntur.
 39 Quis novus hic Panthus, arcis Phoebique sacerdos,
 40 inclamans Phrygiam Danais vastantibus urbem :
 41 "Venit summa dies et ineluctabile tempus
 42 Dardaniae. Fuimus Troes : fuit Ilium, et ingens
 43 Gloria Teucrorum", (stultorum ruricularum.)
- E2_57 v.1 Ceu mappa data signa forent ; age ; protinus omnes
 2 confluere ad Thyasos, et, vertere in orgia noctes :
 3 diffluere in luxum, Venerisque exempla nefandae,
 4 profluere in calices et dolia. Ludere in illis.
 5 Quomodo Tyrrheno ludunt Delphines in alto.
 6 Arcae opibus fractae vacuantur : perque fenestras
 7 projecere domos, et Mundi frustra labantis.
 8 Cum laribusque foci, penus, et cum Smilace fornax,
 9 omnia inexpletas penitus donata gulae sunt.
 10 Vivebatur enim nil Bacchanalia praeter ;
 11 inversoque modo. Vesano ululante tumultu,
 12 Centauri, Fauni, Dryades, flavaeque Napaeae
 13 conjungere choros. Vitulus proponitur assus :
 14 qualiter Hebraei statuit Gens sanguinis aureum.
 15 Ad vitulum vituli saltant : vitulantur et ipsi
 16 ludum exercentes. Prima optima vina dabantur :
 17 ultima, post festum, nil Cotis habentia, cellae
 18 deterioris erant. Lacrimis plena hydria stabat,
 19 et salsas fundebat aquas, oculosque liquentes.
- E2_58 v.1 Ventum erat ad fundum. Vappam jam trulla vomebat :
 2 deque cadis olei foetens stillabat amurca.
 3 Interea post sex nulli se evolvere soles
 4 Elysii : nec spes vitae promissa beatae
 5 affulgere Polo. Totum sine fulgure caelum.
 6 Immotae nubes nullum mutire tonitru.

- 7 At proculex oculis tunicatus lixa proseuchae
8 fugerat in tutum : tanto foetore relicto ;
9 Arunci quantum pingues non mille dedissent.
10 Ergo truces maestique, etiam vix flere valentes.
11 (Includebat enim lacrimas dolor) ire per omnes
12 quaesitum saltus, per et in via et avia. Frustra.
13 Sero Abderitae sapitis : postquam omnia luxus
14 vastavit, mentisque stupor. Stiffelius ipso
15 nomine debebat vobis suspectior esse :
16 accelerare fugam semper de more paratus.
17 Poscit equos ocrea, et rapidis aufertur habenis.
18 Devoveatis eum diris licet, et nebulonem
19 indignum siliquis, indignum luce vocetis :
20 ille saginatus tanto majore cachinno
21 post carecta latet, ficumque ostendit et unguem
22 infamis digiti vobis, sannasque sonantes.
23 Ite levis vulgi faex, indigenaeque redacti
24 ad scabiem, micasque canum, lapidosaque corna.
- E2_59 v.1 Quis furor, ex ocrea Mundi producere Fata !
2 Hoc etiam est ultra crepidam foedissime sutor.
3 Prae soccis, aliquid semper plus calceus audet.
4 Plura requiruntur, toto quae publica caelo
5 praecedent orbis supremam signa ruinam.
6 Longe alio horridior, quam Sol eclipticus, ore,
7 Delius insolita ferrugine luridus, appa-
8 -rebit hians. Disco obtuso, vultuque minaci ;
9 Delia sanguineum lugubre adversa rubebit.
10 E cineris sacco mortem lucere putabis.
11 Agmina stellarum sine lege, sine ordine mista,
12 discurrent instar lapsi Phaethontis et ignes
13 Crinibus excutient, palantia limite nullo.
14 Nubilus ostentis trucibus replebitur aer.
15 Undique fulmineis resonabunt omnia nimbis.
16 Cuncta suis elementa locis emota recedent.
17 Terra tremet : maris unda fremet ; decumamque procellam
18 altior attollet, jactis ad littora phocis.
19 Flammea per medios current incendia campos.
20 Cum scopulis summi montes, ut cera liquescent.
21 Quae tunc Terrigenum facies ? Quis pallor in ore,
22 Corde pavor ? Tellus pedibus quassata dehisce.
23 Clamabunt ; alvoque tua tua viscera conde.
24 Ne videam, videarve. Alius. Subsidente cautes,
25 dicet ; et, o lapsu colles operite sepultum !
26 Tunc tuba ! Sed motos praestat componere fluctus
27 Numinis, iratique minas lenire precando.
- E2_60 v.1 Scindite mortales concretum pectore saxum,
2 parcite nil meritas vestes lacerare : cruentae
3 descendant in corda manus. Clangore tubarum
4 cogite jejunos coetus : et adeste vocatis
5 procidui ; senibus sanctis permista Juventus.
6 Conveniant matres, et cum lactantibus ipsi
7 lactentes. Aetas omnis se cernua sistat.
8 Sponsa cubile suum thalamis egressa relinquat :
9 Sponsus et ipse suum. Solymitides ite puellae.
10 Addite vos maestis Alemannides, addite Nymphae.
11 Ite caput cinere aspersae, scissaeque capillos,

- 12 dejectaeque oculos, et palmis pectora tunsae.
 13 Ter pedibus, nudis veneranda altaria circum :
 14 ter manibus passis sacratum stringite saxum.
 15 Ter curvate genu supplex in pulvere terrae.
 16 Quis scit, si Deus omnipotens ignoscat, et ad nos
 17 conversus, precibus faciles accomodet aures :
 18 atque olei mitis cornu, miserantis amore,
 19 desuper instillet, fletusque abstergat amaros.
- E2_61 v.1 Haec dicit magno possessus Numine vates.
 2 Ecce dies Domini, caliginis atque procellae
 3 imminet. Ecce dies tenebrarum, et turbinis atri.
 4 Tamque prope est ; ut jam sensum percipiat odore
 5 Flamma minax. Properante gradu, devexus ab ortu
 6 mundus in occasum, toto cum pondere vergit.
 7 Chaldaee statucae moles pervenit ad imum :
 8 a capite ad calcem. Jam dudum evanuit aurum,
 9 translatum ad Medos. Horum in fornace recoctum
 10 decidit ex humeris argentum. Graecia Persis
 11 abstulit, et latro bis Magnus. Corruit aere
 12 suffultum latus Inachium ; Romanaque pila
 13 confixere femur. Modici de poplite ferri
 14 quid restat ? Stridente chalybsese atterit usu,
 15 pes tremit instabilis, suras rubigo peredit.
 16 Vix jam testa super. Digni bis quinque videntur :
 17 in quibus ut speres duo vel tria posse latere
 18 secula : sic nec plura reor superesse : licebit
 19 de numero mediam fortassis tollere partem.
- E2_62 v.1 Dic : quid in Europa (lustra, si tanta cupido est :
 2 quid pulchri sacrique vides, primique vigoris ?
 3 Bella tonant. Furit emissis Gradivus habenis.
 4 Armiferam Rhodopen populos effudit in omnes
 5 ille quidem. Sed enim vasto cum fragmine montis
 6 pars in Teutonium major dejecta videtur.
 7 Caesareas aquilas quis jam non vellere tentat ?
 8 Decerptis aether plenus volat undique plumis.
 9 Omnibus in galeis pennae figuntur ademptae.
 10 Altera perpetuos iterat Pharsalia motus.
 11 Rastra in loricas, falces conflantur in enses.
 12 Pax, vacuum nomen. Medios sparguntur in agros
 13 semina Cadmaeam fatis aequantia messem.
 14 Civiles sonuere tubae : metiturque metiturque
 15 se seges ipsa crepans ; et in horrea fertur opaca,
 16 filia quae Cereris reserat, jam tertia Juno
 17 res vulgata nimis. Cognatum invectus in hostem
 18 sanguine fraterno violat natale sepulcrum.
 19 Rugit Belga Leo ; perque intervalla jubatus
 20 concutitur, vacuisque fremens ferit aera malis.
 21 Armantur tectae vulpes : armantur et ursi.
 22 Et celeres pardi, gryphesque in montibus altis.
 23 Et quaecumque fera est clipeata, ant casside fulget
 24 militat hoc ipso, cristisque incedit avitis.
 25 Nomina magna sonant : tumulos implere duellis
 26 ambitus insanit : rectaque ascendere in orcum
 27 cum phaleris, et cum calcaribus, et nigris diis.
 28 Trux Othomannigenum pecus in pejora superba
 29 fronte ruit ; tollitque minas, et cornua fastu.

- 30 Odrysias vexilla movent errantia lunas.
 31 Saevit inexpleto feralis bellua rictu.
 32 Jam per Pannoniam conatur adire Viennam.
 33 Jam per Dalmaticos rimatur viscera saltus
 34 praecipuus furor in Venetos. Latrantibus obstant
 35 patricii canibus. Vim masculus Adria ponto
 36 frangit, et illisos scopulis defraudat hiatus.
 37 Sarmaticam sua Erynnis agit suus ardor in arma
 38 Lechica nil metuit proles : sed Vistula plorat.
 39 Suecia Gustavi necdum satiata trophaeis,
 40 Arctoas acies lituis Borealibus inflat.
 41 Tessera bellorum est, quam dat Mezentius olim.
 42 Nec Mortem horremus, nec Divum parcimus ulli.
 43 Danus inhorrescit : magnoque agitata tumultu
 44 Cimbrica tempestas refluas despumat in iras.
 45 Caedibus alternis funesta Britannia sceptrum
 46 polluit : et jugulis hebetatur lassa securis.
- E2_63 v.1 Nulla mora est. Aderit tandem praescitus ab omni
 2 parte nocens : monstrum horrendum, quod se omnia supra
 3 Numina jactabit, summaque sedebit in ara.
 4 Thure calens, plus quam Deus (et quid majus habetur ?)
 5 oppositum Christo. Non longe fertur abesse.
 6 Praecedunt prodromi : fastus fraus, Luxus, Egestas,
 7 Perfidia, Ambitio : Pax personata, dolique
 8 visco avium tincti : bifrontes, atque bilingues ;
 9 quorum opus et labor est, oleo inflammare caminum.
 10 Verba quidem balant, sed facta et crimina latrant.
 11 Ancipitem sonitum labra ac praecordia miscent.
 12 Blandiciae, promissa, preces, Jovis omnia plena ;
 13 immensumque nihil uno stabulantur in ore.
 14 Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.
 15 Rara fides etiam solitis praecedere castra :
 16 rarior in mediis castris, vel Punica certe,
 17 Hannibal ante volans et retro perfidus errat.
 18 Juxta, infra, supraque aciem. Fas omne sub ungue est.
 19 Numquid (io) propter pacem jam bella geruntur ?
 20 Numquid (io) potius bello Pax alma fugatur ?
 21 Dic : quotus ex merito Patriae Pater. Omnia fiscus
 22 devorat. Absorbens mare fit, nunquamque redundat.
 23 Praetextu armorum, vanae sub imagine pompae,
 24 publica privatis inhiant aeraria nummis.
- E2_64 v.1 Virtus est, vitium fugere, inquit Horatius. Ohe !
 2 Flacce, quid ? O mores, o tempora ! Tempore nostro
 3 virtus est, vitiis insistere. Qui sine fraude est,
 4 ibit in exilium reus, ad Garamantas et Indos.
 5 Respice scriptorem, qualem Florentia pavit.
 6 Amphisbaena biceps quas non penetravit in aulas !
 7 Velleris aurati fit eques : qui vellera ferre
 8 debuerat piceis infecta. Suumque cruentis
 9 Machia- caedendum - vellus praebere machaeris.
 10 Exin nulla quies ; virtus vix projicit umbram.
 11 Utile laudatur. Quod honestum est, quaerat agaso.
 12 Verba volant : facienda jacent. Donanda manebunt
 13 centum occlusa seris. Nunquam prodire licebit.
 14 Thesaurus retinens arca, est Daneia turris ;
 15 cuncta, Jovemque ipsum, quamvis se vertat in imbrem,

- 16 eludet. Calvi observa Branconis alumnum.
 17 Pollicitis immane tonat : nec decidet ulla
 18 stilla tamen. Siccae nubes, semperque coruscae.
 19 Scilicet his aulae splendent, raroque rigantur.
 20 Candida sub sterili dependent vellera Caelo.
 21 Quis Caelum curat ? Bona sunt in amore caduca.
 22 Parva rotae species, Fortunae lubricus axis,
 23 orbibus immensis summi praefertur Olympi :
 24 divitias et opes, aliquo vix nomine dignas,
 25 Virtutis contemptor amat. Cumulentur ut auri
 26 pondera, crudeli ferro pugnatur et auro.
 27 Quaeque brevi nullius erunt, sibi quisque rapina
 28 attribuit, praedamque facit. Pro vilibus umbris,
 29 et nitida cinerum gleba, pro pulvere terrae,
 30 in cineres abeunt, et fiunt pulvis et umbra.
 31 His vitiis et vana fides accedit, et ora
 32 fissa dolis, famae strepitus, mendacia mille.
 33 Seu nova narrantur, seu praelo impressa leguntur ;
 34 quid credas ? In quam referas audita bilancem ?
 35 Histrio se vultus variat, cordisque Sinones.
 36 Intus atrox habitat Catilina forisque Camillus,
 37 apparet ; totus sibi dissonus. Unus et idem
 38 fucus, apis, lupus, agnus erit : et amicus et hostis.
 39 Cui caput optaret demptum cervice recisa,
 40 pronus adorabit. Protendet ad oscula dextram ;
 41 laeva manus sicam solvet. Cum fulgure ridens
 42 flectit : et o dulcem (clam detestatur) Orestem !
 43 Enectumque fame malit, cum invitat ad offam.
 44 Donatur pro pane lapis : monstratur et ovum ;
 45 scorpio porrigitur. Piscis mutatur in Ibin.
- E2_65 v.1 At, puto, justitiae saltem sua jura relinquunt.
 2 Cras, Tite, solvetur merces tibi debita. Falsum est.
 3 Pignus adhuc hodie referam cum fenore : falsum est.
 4 Nullo imbutus heri sum muneris unguine : falsum est.
 5 Bullatae leges, et conceptissima verba,
 6 et jusjurandum, signum Majusque, minusque
 7 Chartaque cum cera plebeia et regia : nugae !
 8 In testamentis quae corruptela ! Resignant,
 9 quo placet, intruso ; toto licet asse remotus
 10 in vivum Cossus verbis peccarit et herbis.
 11 Quid valeant tabulae cum testatore sepultae ?
 12 Arguis, et dictis confutas facta ? Negabit
 13 in collum laqueo dignum mentitus ; et astra
 14 ostendet digito : per eum, qui condidit illa
 15 captator jurans horrendum, et in aethera frendens.
 16 Et speremus adhuc Mundum consistere posse !
- E2_66 v.1 An referam, quidquid lasciva insania peccat ?
 2 Oedipodes, Phaedrae scelera, Aegisthique silete.
 3 Nostro aevo neptes ex gnata sustulit unus :
 4 ipse suae prolis (Furiis horrentibus omen),
 5 factus avus ; mirusque gener : generoque nefanda
 6 conjugis improbior factus socer. Integer huic vir
 7 Jocastae collatus erit. Tunc scilicet astra
 8 clauserunt oculos, ne probrum immane viderent ;
 9 quale Mycenaei vix adspexere Penates.
 10 Quos tamen effugiens sol et revolutus in ortum,

- 11 attonitos dira detorsit ab urbe jugales.
 12 Femineo quaenam videas spectacula circo ?
 13 Aede Pudicitiae versa, pudet esse pudicas.
 14 Jam non aera petunt omnes, cum corpora vendunt.
 15 Dant etiam : ut saltem merx sic quoque vilis ematur.
- E2_67 v.1 Aspice Parthenios coetus. Quota Virgo meretur
 2 nomen adulta suum ? Titulo contenta superbit
 3 Hypsipyle : canta est, sed non et casta Neaera.
 4 Respicimus fines, non significata frequenter.
 5 Nam quid significet Virgo, non respicit unquam
 6 Filia Mechtildis Glaphyrae : non respicit Hecla,
 7 quae sedet, et spectat Laribus vicina Bathylli,
 8 ex maculis, quot praetereant, ut femina culti
 9 ad speculum juvenes. Oculos tunc prodigit omnes,
 10 et centum geminis plures optaret habere.
 11 Occurrunt passim pictae sine fronte puellae :
 12 exsertaeque sinum longe lateque patentem,
 13 (quem tamen armatus melius velaret echinus ;)
 14 haud secus ac plenae distendunt ubera vaccae.
 15 Ferre putes ad molle forum duo cymbia lactis.
 16 Virginis haec sertum gestet, quae vertice cristas,
 17 suggestumque comae, tabulataque serica portat !
 18 Virginis haec titulos curet, quae felibus olim
 19 invida, nocturnas visitque agitatque choreas !
 20 Virginis haec zonam ! Cui balthea militis haerent
 21 appensa : et notis fulserunt cingula bullis.
 22 Virginis haec florem ! Quae desiit esse bilustris
 23 Florida, et a Veneris jam dudum saucia spina.
 24 Prostituit corpus : quum nondum ducere fila
 25 sciret, acuque suos in trama pingere amores !
 26 Virginis ista nives ! Niveum quae ostendere collum
 27 gestit, et a media plus quam cervice resectum !
 28 Virginis haec mores ! Quae cincinnata sub aure
 29 Cum gemmis electra gerit, Electra futura.
 30 Quid refert ? Nympha Oceani, an soror impia Orestis.
 31 Virginis haec nomen ! Quae torva et veste virili
 32 bracata incedit : sed non nisi mollis Amazon
 33 alteram amat pharetram petulans, aliasque sagittas.
 34 Virginis haec caetera desiderantur.
- E2_68 v.1 Haec ad Danubii ripam propioris : ubi stat
 2 arx nova, jam muris non aspernanda relectis.
 3 Dii liquidi ! quantis moles asperrima damnis
 4 praestructas afflixit hyems ! Advolvit acervos
 5 crustarum immanes ! Glacialia frangere pontem
 6 frustra minabantur, porro indignantia sisti.
 7 Intumere animi fluvio. Spumosior Ister
 8 saxea frena ruens, et cuncta repagula rupit
 9 claustrorum multoque involvit gurgite campos.
 10 Sed nunc aggeribus reparatis mitior intra
 11 septa fluit : cursusque modos iterare prioris
 12 cogitur : et placidis descendit lubricus undis.
 13 Haec est humanae vitae labentis imago.
 14 Jam fastu erigitur, ceu fluctu, et concitat aestus :
 15 impatiensque sui spatiosus ludit in arvis.
 16 Mox iterum luctu ac curis, velut aggere septa,
 17 intra alveum depressa meat ; vicinaque morti

18 anxia contrahitur : positoque tumore residit.
19 Danubius quaerit sua Fata ideoque citatis
20 passibus Euxini contendit ad ostia Ponti :
21 nos scorbe contenti quavis. Dilabimur omnes,
22 in mare, sicut aquae. Lunae Solisque labores,
23 praeteritae eclipses, cum praeteritisque futurae,
24 quique mathematici in caelum (fiducia gentis !)
25 Ponitis os vestrum, terroresque inde cietis.
26 Cum Macris pingues, cum torvis ora venusti :
27 Pieridumque chorus Musae, formosa Thaleia :
28 Tuque o distinguens arguto pectine crines
29 Euterpe dulcis : quae carmen amabile nobis
30 dictasti. Vosque o manifesta, obscura et amoena :
31 insulsi salsique joci, lepidaeque Camoenae :
32 quadrati et teretes Satyri, Satyraeque valete.